


PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

12

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE INTERDICTI

USQUE AD AETATEM IVONIS CARNOTENSIS ET PASCHALIS II

I. SCRIPTORES, EPISTOLAE, CONCILIA

VARIA DOCUMENTA COLLEGIT NOTISQUE ILLUSTRAVIT

WILLELMUS RICHTER S. I.

Theol. Prof.

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta, 4

1934

TEXTUS ET DOCUMENTA

SERIES THEOLOGICA

1. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — I. Testimonia selecta e Patribus Graecis (S. TROMP). in-8° pp. 64, 1932 - Lire 4.
2. **S. Augustini: De Correptione et Gratia.** — Editio aucta introductione, notis, textibus parallelis (C. BOYER). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
3. **De obligatione catholicorum perseverandi in fide suscepta.** — Documenta Vaticana (H. LENNERZ). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
4. **De ordaliis** — I. Decreta R. Pontificum et Synodorum (P. BROWE). in-8°, pp. 48, 1932 - Lire 4.
5. **De frequenti communione in Occid. usque ad a. 1000.** — Documenta varia (P. BROWE). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
6. **Photius et Ecclesia Romana.** — Documenta notis illustrata I: Primus Patriarchatus Photii (G. HOFMANN). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
7. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — II. Testimonia selecta e Patribus Latinis (S. TROMP). in-8°, pp. 54, 1932 - Lire 4.
8. **Photius et Ecclesia Romana.** — II. A Synodo Romana (869) usque ad depositionem Photii (886) (G. HOFMANN). in-8°, pp. 52, 1932 - Lire 4.
9. **S. Leonis Magni Tomus ad Flavianum episc. Constantinopolitanum** (ep. 28) **cum Testimoniis Patrum et epistula ad Leonem I imp.** (ep. 165). — Editio nova cum introductione, notis, indicibus (C. SILVA-TAROUCA). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

12

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE INTERDICTI

USQUE AD AETATEM IVONIS CARNOTENSIS ET PASCHALIS II

I. SCRIPTORES, EPISTOLAE, CONCILIA

VARIA DOCUMENTA COLLEGIT NOTISQUE ILLUSTRAVIT

WILLELMUS RICHTER S. I.
THEOL. PROF.

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
Piazza della Pilotta, 4

1934

IMPRIMI POTEST

Romae, 15 Ian. 1934.

RAPHAEL BITETTI,
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 23 Ian. 1934.

† IOSEPHUS PALICA,
Archiep. Philipp., Vic. ger.

ROMAE — TYPIS PONT. UNIV. GREGORIANAE — ROMAE

INTRODUCTIO

In exercitationibus, quae in Universitate ab auditoribus de quaestionibus historicis instituuntur, primum est ipsos fontes legere et interpretari. Huic fini editiones textuum, qui fontes de determinatis materiis iam in unum collectos continent et simul in manu omnium auditorum esse possunt, inserviunt. Ita exercitationes de quaestionibus quoque difficilioribus, qualis v. g. quaestio de origine et evolutione interdicti est, fieri possunt.

Haec collectio proponit textus de origine interdicti ejusque evolutione usque ad aetatem Ivonis Carnotensis et Paschalis II (1099-1118) Pontificis contemporanei.

Quia inter auctores, qui de origine interdicti egerunt, variae controversiae ex eo quod vocem interdicti non omnes in eodem sensu adhibuerunt, ortae sunt, iam dicendum est, quid in hac collectione interdictum intelligatur.

Agitur hic tantum de interdicto *locali*, excluso i. stricte personali, quale v. g. inter alia i. ab ingressu ecclesiae est. Nihilominus unum alterumve exemplum i. personalis allegatur, ut terminologia melius cognoscatur. Pro primis temporibus abstrahitur hic a differentia inter i. proprie dictum et cessationem quam vocant a divinis, item a differentia inter i. ut poenam vindicativam et medicinalem seu censuram. Quando de origine alicuius instituti iuridici agitur, non de instituto perfecto, in quo omnes notae in definitione completa contentae verificantur, sed de imperfecto, in quo saltem pars talium notarum invenitur, quaeritur. Inquiruntur facta et leges quae tamquam praefiguratio seu praeformatio interdicti considerari possunt.

Ad interdictum in sensu latissimo requiritur, ut propter delictum patratum auctoritas ecclesiastica in determinata ecclesia vel in ecclesiis alicuius regionis divina officia tollat. Generatim tali sublatione divini officii non solum is qui delictum patravit sed etiam innocentes afficiuntur, quamquam cogitari potest omnes incolas alicuius regionis v. g. propter rebellionem contra episcopum culpabiles esse. Exclusio a divino officio est malum, quod pro delinquente rationem poenae habet, pro innocentibus vero incommodum est, quod propter bonum commune patienter sustinere debent. Pro delinquente haec sequela, quod etiam innocentes damnum patiuntur, efficacem monitionem deponendi contumaciam continet, quae tanto efficacior est quanto magis, si v. g. de principe agitur, aversio animi subditorum timetur. De facto quidem delinquens praeterea generatim, non semper, alia poena scil. excommunicatione vel interdicto personali affici solet.

Quia in collectione tales quoque textus recepti sunt, qui ab aliquibus auctoribus erronee tamquam fontes de interdicto considerabantur[1], in exercitationibus quoad singulos textus quaestio, an et quid de interdicto contineant, ponenda est. Notae criticae textibus adiectae talem quaestionem nullatenus solvere intendunt.

In interpretatione differentia interdicti localis ab aliis institutis iuridicis, praesertim ab excommunicatione, suspensione seu interdicto personali et a casu exsecrationis ecclesiae attendenda est. Iam de singulis breviter principia indicantur.

Initio quidem interdicto saepe nomen excommunicationis tribuitur, quamquam persuasio, excommunicationem esse gravissimam poenam spiritualem, quae immediate animam afficit et solummodo in personam ipsam delictum patrantem iuste infligi potest, semper in Ecclesia viguit. Hoc certo enuntiatur in

---

[1] Omittitur tamen epistula 250 *S. Basilii* (Migne PG 32, 1002), quae aperte de poenitentia publica agit, ab aliquibus vero ut primum exemplum interdicti consideratur, v. g. *L. Godefroy*, Diction. de Théol. Cathol. VII 2282. Praeterea haec collectio tantum documenta Ecclesiae occidentalis comprehendit.

epistula S. Augustini[2] ad Auxilium episcopum, qui propter peccatum personale Classiciani simul totam ejus familiam anathematizaverat et propterea a S. Augustino acriter vituperatur. — Alii ex hoc probari posse, iam tempore S. Aug. interdictum in usu fuisse, putaverunt. — Haec epistula magni momenti est, in variis quoque canonum collectionibus refertur sub rubrica: Pro peccatis patris non est filius anathematizandus[3]. Ita haec persuasio semper in Ecclesia viva permansit.

Propterea textum, in quo ecclesia aliqua vel regio excommunicari dicitur, ita ut innocentes quoque comprehendantur, generatim de interdicto locali interpretari licet. Quando monasterium cuius monachi omnes delicti participes sunt, excommunicari dicitur, de excommunicatione proprie dicta agitur; e contra textus de interdicto locali valet, si partem monachorum innocentem esse constat.

Interdicere personas in textibus generatim interdictum personale significat, quae pro clericis saepe suspensionem a divinis, pro laicis suspensionem iuris participandi divinis officiis continet. Quando omnes monachi alicuius monasterii interdici dicuntur, interdum idem habetur atque in interdicto locali. Inter alia problema pro exercitationibus aptum est, ex ipsis textibus eruere quid locutio «interdictus» significet, utrum adhibeatur tantum de iis qui interdicto personali, an etiam de iis qui interdicto locali subsunt. De hac quaestione saepe disputatum est[4].

Praeterea in explicandis textibus differentia inter interdictum et exsecrationem ecclesiae attendenda est. Nam in hoc quoque casu divinum officium propter delictum v. g. homicidium in ecclesia patratum omittitur et quidem ita ut etiam innocentes a divino officio excludantur. In casu exsecrationis seu pollutionis ecclesiae divina officia post eius reconciliationem resumuntur, independenter a punitione delinquentis; interdictum vero non nisi debita satisfactione a delinquente praestita, ab auctoritate ecclesiastica tollitur.

---

[2] *Migne* PL 33, 1066.

[3] *Ans. de Lucca* XII 67; *Ivo Carnot.* Panorm. V 126, Decretum XIV 44; Decret. Gratiani C. XXIV Q. III c. 1.

[4] Cf. v. g. *Hinschius*, Kirchenrecht V 525 n. 12.

Exemplum praebet a. 1025 epistola Fulberti [5] episcopi Carnotensis ad Richardum abbatem S. Medardi Suessionensis: «Dicitur de vobis quod in eadem violata (scil. per caedem) ecclesia sine episcopali reconciliatione Deo sacrificare praesumitis». Vel epistola Manassis [6] episcopi Cameracensis (1095-1103) ad Lambertum ep. Atrebatensem (Arras): «Amorem et fraternitatem tuam deprecor, quatenus benedictionem ecclesiarum et reconciliationem per praesentem legatum mihi mittas. Ego enim instanti die dominica Dei annuente clementia ecclesiam consecrare disposui, et ut amicus ab amico officio nostro necessaria a te quaerere non dubitavi».

Haec principia in interpretatione textuum iuvare possunt.

Documenta huius collectionis non secundum ordinem systematicum proponuntur, quia hoc iam interpretationem fontium supponeret, id quod praecise ab auditoribus in exercitationibus faciendum est. Ut tamen aliqua saltem classificatio habeatur, fontes sic dividuntur.

I. Scriptores, Epistolae
II. Decreta synodorum
III. Decreta Romanorum Pontificum.

Ex rationibus practicis prima pars hujus collectionis, quam nunc (*Textus et Documenta*, ser. theolog. 12 et 13) foras damus, usque ad aetatem Ivonis Carnotensis, canonistae celeberrimi, et Paschalis II Pontificis producitur. Intentio quidem erat omnes fontes huius periodi colligere, de facto tamen nimium laborem postularet talem collectionem absolute completam reddere. Hucusque saltem nemo tantam copiam documentorum de interdicto collegit. Quia multae quaestiones de interdicto solummodo respiciendo omnes fontes solvi possunt, talis collectio non superflua esse videtur.

Altera pars collectionis, quam mox, uti speramus, in lucem sumus edituri, continebit fontes usque ad Ius Decretalium. Ex hac tamem periodo documenta tantum selecta, quae pro evolutione interdicti maioris momenti sunt, proponi poterunt, quia post aetatem Ivonis numerus eorum nimium crevit.

---

[5] Bouquet X 474.

[6] Baluzius, *Miscellanea* II 141.

Praeter fontes in sequentibus allegatos permulta alia chronica, cartularia similesque collectiones documentorum, praesertim ex Gallia et Hispania, quae pro hac aetate praecipue in quaestionem veniunt, non neglectis aliis regionibus, diligenter examinata sunt, in quibus nullum vestigium de interdicto apparuit.

Bibliographiam invenies apud auctores qui de historia interdicti et de iure canonico scripserunt. Aliqui hic indicantur: *E. I. Conran*, The interdict (Diss. Washington) 1930; *L. Godefroy*, Dictionnaire de Théologie Cathol. VII 2282; *A. Haas*, Das Interdikt, Bonn 1929; *Paul Hinschius*, System des kathol. Kirchenrechts, vol. IV et V, Berlin 1888, 95; *F. Kober*, Das Interdikt, in: Archiv f. kathol. Kirchenrecht vol. 21 et 22 (1869); *E. Krehbiel*, The Interdict, its history and its operation with special attention to the time of pope Innocent III (Diss. Washington) 1909; *I. B. Haring*, Lexik. f. Theol. u. Kirche V (1933) 435.

TITULI ABBREVIATI

Abhandlungen der Gesellschaft d. Wissenschaften zu *Goettingen*. Philol. histor. Klasse: Band XVIII 2. *Paul Kehr*, Papsturkunden in Spanien, I. Katalanien, 1926; Bd. XXII 1. II. Navarra u. Aragon, 1928. Bd. XX 3. *Carl Erdmann*, Papsturkunden in Portugal, 1927. Bd. XXV. *Walter Holtzmann*, Papsturkunden in England, 1930-31.

D'Achery, Lucas, Spicilegium sive collectio veterum aliquot scriptorum. Nova editio Ios. de la Barre, 3 vol. Paris 1723.

Analecta Iuris Pontificii, Rome 1855 ss.

Archives histor. du Poitou. XVI. Chartes de l'abbaye de Saint-Maixent. Poitiers 1887.

Baluze, Steph., Historiae Tutelensis libri tres. Paris 1717.

— Miscellanea, novo ordine digesta et... aucta opera et studio D. Mansi. 4 vol. Lucae 1761-64.

— Capitularia regum Francorum, ed. nov. P. de Chiniac. 2 vol. Paris 1780.

Besson, Mr., Mémoires pour l'histoire eccl. des diocèses de Génève, Tarantaise etc. Nancy 1759.

Bouquet, Mt., Recueil des historiens des Gaules et de la France. 23 vol. Paris 1738-1876.

Bruns, H., Bibliotheca ecclesiastica. Pars I. Canones Apostolorum et Conciliorum. 1839.

Collection de documents inédits sur l'histoire de France. Première série. Histoire politique. Collection des Cartulaires de France:
Tome I. Cartulaire de l'abbaye de *Saint-Père de Chartres,* ed. M. Guérard, 2 vol. Paris 1840.
Tome IV. Cart. de l'église *Notre-Dame de Paris.* M. Guérard, 1850.
Tome IX. Cart. de l'abbaye *St. Victor de Marseille.* M. Guérard, 1857.

Eichhorn, A., Episcopatus Curiensis in Rhaetia. Typis San Blasianis 1797.

Festschrift f. Alb. Brackmann, ed. L. Santifaller, 1931: *H. Meinert,* Libelli de discordia inter Monachos S. Remigii et S. Nicasii Remenses agitata tempore Paschalis II papae; *E. Stengel,* Karl

Widmers Pfaeverser Faelschungen; *W. Levison,* Bischof Eberigisil von Koeln.

Fournier, Paul et Gabriel le Bras, Histoire des collections canoniques en occident. 2 vol. Paris 1931-32.

Gallia Christiana, in provincias eccl. distributa, ope monachorum congr. S. Mauri. 14 vol. Paris 1715-1856.

Gallia Christiana Novissima, 7 vol. Montbéliard 1899–1920.

Gams, P. Pius Bonifacius O. S. B., Series episcoporum. Ratisbonae 1873.

Haddan, A. W. and W. Stubbs, Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland. 3 vol. Oxford 1869-73.

Hansizius, M., Germania sacra. 3 vol. Aug. Vind. et Viennae 1727-55.

Hefele, Carl Ios. von, Conciliengeschichte. Freiburg 1873 ss.

I. L. Vide infra Regesta P.

Liebermann, F., Die Gesetze der Angelsachsen. Vol. I. Halle 1898-1903.

Loewenfeld, S., Epistolae Pontificum Rom. ineditae. Lipsiae 1885.

Mabillon, Ioh., Acta Sanctorum ord. S. Benedicti. 9 vol. Venetiis 1733-40.

— Annales ord. S. Benedicti. Absolvit et additamentis exornavit E. Martène. Paris 1703-39.

— Vetera analecta. Ed. nov. de la Barre. Paris 1723.

Manitius, Max, Geschichte der latein. Literatur des Mittelalters. 3 vol. Muenchen 1911-31.

Mansi, Dom., S. conciliorum nova et ampliss. collectio. Florentiis et Venet. 1759 ss.

Marchegay, Salmon, Mabille, Chroniques d'Anjou. Tome I. Paris 1856.

— Tome II. Chroniques des églises d'Anjou. 1869.

— Chroniques des comtes d'Anjou. 1871.

Marrier, M. et A. Quercetanus, Bibliotheca Cluniacensis. Paris 1614.

Martène, E. et U. Durand, Thesaurus novus anecdotorum. 5 vol. Paris 1717.

— Veterum scriptorum et monumentorum ... amplissima collectio. 9 vol. Paris 1724-33.

Mémoires et documents publiés par la société nationale des antiquaires de France. Mettensia VI. André Lesort, Chroniques et chartes de l'abbaye de *Saint-Mihiel.* Paris 1909-12.

Migne, P., Patrologia = PL.

Monumenta Germaniae historica = MGH.

Monumenta Poloniae historica. Tom. III. Lwów 1878.

Muratori, L. A., Antiquitates Italicae medii aevi. 6 vol. Mediolani 1738-42.

Nachrichten von der k. Gesellschaft der Wissenschaften zu *Goettingen.* 1894 ss. — *Paul Kehr,* Papsturkunden in Italien 1896 ss. — *W. Wiederhold,* Papsturkunden in Frankreich. 7 Beihefte, 1906-13.

Neues Archiv der Gesellschaft fuer aeltere deutsche Geschichtskunde. 1876 ss.

Orderici Vitalis Historia eccl. ed. Aug. Le Prevost. 5 vol. Paris 1838-55.

PL. Vide Migne.

Pflugk-Harttung, I. von, Acta Pontificum Romanorum inedita. Tom. I-III. 1880-86.

— Iter Italicum. 1883.

Regesta Pontificum Rom. ab condita ecclesia ad a. 1198, ed. *Ph. Iaffé*; ed. 2 (1885-88) cur. *S. Loewenfeld* = IL.

Regesta Pontificum Rom. Iubente societate Gottingensi congessit *Paulus Fridolinus Kehr.* Italia Pontificia. 7 vol. 1906-25. — *Alb. Brackmann,* Germania Pontificia. Tom. I. Prov. Salisburg. et ep. Trident. 1921; Tom. II. Prov. Maguntin. Pars I. 1923; Pars II. Helvetia Pontificia. 1927.

Rerum Britannicarum medii aevi scriptores:

Nr. 52. *Willelmi Malmesbiriensis* De Gestis pontificum Anglorum libri quinque, ed. A. Hamilton. London 1870.

Nr. 90. *Willelmi Malmesbiriensis* De Gestis regum Anglorum libri quinque, ed. W. Stubbs. 2 vol. London 1887-89.

Scriptores rerum Germanicarum in usum scholarum ex Monumentis Germ. hist. recusi. 1840 ss.

Scriptores rerum Silesicarum, ed. G. A. Stenzel. Breslau 1835 ss.

Scriptores Silesicarum rerum aliquot adhuc inediti, ed. G. A. de Sommersberg. 3 vol. Lipsiae 1729-32.

Sirmondi, Iac., Opera varia. 5 vol. Venetiis 1728.

Ueberweg, Gr. d. Geschichte d. Philosophie. Pars II. Die patrist. u. scholast. Phil. ed. 11 (1928) cur. *Bern. Geyer.*

Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae, ed. Aug. Theiner. Romae 1860 ss.

Voosen, Elie, Papauté et pouvoir civil à l'époque de Gregoire VII. (Diss. Louvain) 1927.

Wattenbach, W., Deutschlands Geschichtsquellen. Ed. 7. cur. E. Dümmler, Tom. I. 1904.

I. — Scriptores, Epistolae

1.

c. 570. *Gregorius Turonensis*[1]. *Hist. Francorum.*

L. V c. 32. Apud Parisios autem mulier quaedam ruit in crimine, asserentibus multis, quasi quod, relicto viro, cum alio misceretur. Igitur parentes illius accesserunt ad patrem, dicentes: Aut idoneam redde filiam tuam, aut certe moriatur, ne stuprum hoc generi nostro notam infligat. Novi inquit pater, ego filiam meam bene idoneam; nec est verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen consurgat ulterius, innocentem eam faciam sacramento. Et illi: Si, inquiunt, est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysii martyris sacramentis affirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad basilicam martyris sancti conveniunt, elevatisque pater manibus super altarium, juravit filiam non esse culpabilem. E contrario vero periurasse eum, alii a parte viri pronuntiant. His ergo altercantibus, evaginatis gladiis in se invicem proruunt atque ante ipsum altarium se trucidantur. Erant enim maiores natu et primi apud Chilpericum regem. Sauciantur multi gladiis, respergitur sancta humano cruore basilica, ostia iaculis fodiuntur et ensibus, atque usque ad ipsum sepulcrum tela iniqua desaeviunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec ista omnia ad regis notitiam pervenirent. Hi vero properantes ad praesentiam principis, non recipiuntur in gratia; sed et ad episcopum loci illius remissi, iussum est, ut, si de hoc facinus culpabiles non inve-

---

[1] Cf. *G. Schnuerer*, Lexikon f. Theologie u. K. IV (1932) 684; *Wattenbach*, Deutschlands Geschichtsquellen I (1904) 103; *Manitius I* 216.

niebantur, convenienter sociarentur communioni. Tunc ab episcopo Ragnimodo, qui Parisiacae ecclesiae praeerat, componentes quae male gesserant, in communione ecclesiastica sunt recepti.

MGH Scr. Rer. Merov. I 224; PL 71, 348.

2.

586. *Gregorius Turonensis. Hist. Francorum.*

Fredegundis regina Rothomagi (Rouen) die festo Paschatis Praetextatum archiepiscopum ad altare celebrantem per homicidam occiderat; similiter unum de senioribus Rothomagensibus, qui eam propter tantum scelus fortiter vituperaverat, veneno interfecit. Inquisitionem huius delicti Leudovaldus episcopus Baiocassinus (Bayeux) suscepit:

Lib. VIII c. 31. Post haec Leudovaldus episcopus epistolas per omnes sacerdotes direxit, et accepto consilio, ecclesias Rothomagensis clausit, ut in his populus solemnia divina non expectaret, donec indagatione communi repperiretur huius auctor sceleris.

Revera homicida detectus est, qui facinus suum confessus est; regina vero eum contra poenam statutam defendit. Propterea Gunthchramnus rex tres episcopos ad Chilpericum misit, qui punitionem reorum postularent:

Et his dictis discesserunt, nullum rationabilem responsum accipientes, obtestantes omnino, ut nunquam in aeclesia illa Melantius, qui prius in loco Praetextato subrogatus fuerat, sacerdotis fungeretur officium.

MGH Scr. Rer. Merov. I 346; PL 71, 471.

3.

c. 590. *Greg. Tur. Hist. Francorum.*

Eoden fere tempore in monasterio Pictaviensi (Poitiers) gravissimae discordiae contra Leuboveram abbatissam ortae erant. Chrodieldis enim, regis filia, ut ipsa dignitatem abbatissae impetraret, catervam sceleratorum hominum collegerat, qui in mo-

nasterium irruentes abbatissam in carcerem coniecerunt. Gregorius refert:

L. X c. 15. Haec autem gesta sunt ante septem dies Paschae. Cum episcopus haec omnia graviter ferret nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem dicens: « Relinque abbatissam, ut in his diebus in hoc carcere non detineatur; alioquin non celebrabo pascha Domini, neque baptismum in hac urbe ullus catecuminus obtinebit, nisi abbatissa a vinculo quo tenetur iubeatur absolvi. Quod si nec sic volueritis [absolvi], collectis civibus, auferam eam ».

MGH Scr. Rer. Mer. I 424; PL 71, 545. Cf. *W. Levison,* Bischof Eberigisil von Köln, in: *Festschrift* f. Alb. Brackmann (1931) 41.

4.

Saec. VI. Greg. Tur. Liber in gloria Martyrum.

Gomacharius comes agrum ad ecclesiam Agathensem (Agde) pertinentem violenter occupaverat. Leo episcopus, qui inter Sophronium, qui a. 506 Agathensi concilio interfuit, et Tigridium, qui a. 589 Narbonensi concilio subscripsit, ecclesiam Agathensem gubernavit, identidem raptorem rogavit, ut res pauperum redderet. Sed frustra; tunc Leo:

c. 78. Prosternitur in oratione, celebratur vigilias ac noctem totam in lacrimis et psallentio ducit. Mane autem facto accedit ad lignos (luminaria) qui de camera ecclesiae dependebant, extendensque virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens: « Non hic accenditur lumen, donec ulciscatur Deus de inimicis et restituat res domus suae ».

MGH Scr. Rer. Mer. I 541; PL 71, 776.

5.

Saec. VI. Greg. Tur. Liber in gloria Confessorum.

In ecclesia Aquensi (Aix) Franco episcopus (ob. 566) gubernavit inter Avolum (ob. 555) et Pientium (ob. 585). Childericus Saxo dux, qui tunc temporis primus apud Sigibertum regem habebatur, villam ecclesiae Aquensis sibi arripuit, sub prae-

textu, eam sine iure ab episcopo occupatam fuisse. In iudicio iniusto Franco episcopus condemnatur. Greg. Tur. refert:

c. 70. Denique condemnatus spoliatusque sacerdos ad urbem redit, atque prostratus in orationem coram sepulchro sancti (Mitrii), dicto psalmi capitello, ait: « Non hic accenditur lumen, neque psalmorum modolatio canitur, gloriosissime sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimiciis suis, resque tibi violenter ablatas ecclesiae sanctae restituas ». Haec cum lacrimis effatus, sentes cum acutis aculeis [1] super tumulum proiecit; egressusque, clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocavit.

Childericus post haec morbo correptus pertinaciter per integrum annum restitit, donec poenitentiam ageret.

MGH l. c. 789: PL 71, 879.

6.

Saec. VII. *Vita S. Eligii Noviomensis (Noyon) episcopi (ob. 660), auctore Dadone episcopo Rotomagense (ob. 683).*

Lib. I c. 30. Alio rursum tempore dum apud Parisios commoraretur, quadam die mane confugiit ad eum tremebundus custos basilicae sanctae Columbae virginis, provolutusque pedibus eius, nuntiavit eadem se quiescente nocte vastatam omni ornatu fuisse basilicam: quod Eligius audiens tristis admodum effectus, cito tamen ad solita spei praesidia recurrens, clementer refovit custodem, deinde ad eundem oratorium pergens, oratione praemissa haec loquebatur verba: Audi, inquit, sancta Columba, quae dico. Novit meus redemptor, nisi cito ornamenta tabernaculi huius furata reduxeris, equidem spinis allatis faciam hanc ianuam ita obserari, ut nunquam tibi in hoc loco veneratio

---

[1] Ritus ob delictum commissum applicandi sacris reliquiis et imaginibus sentes et spinas in textibus huius collectionis saepius occurrit. Commemoratur etiam a. 1233, quando Mauricius archiep. Rothom. propter scelera regis sacras imagines in ecclesiis deponi iussit: « Easdem item imagines spinis immediate circundari, et aliquibus repagulis, aut obstaculis ne ab aliquo contingi aut sordidari contingat, easdem circumvallari cum debita diligentia faciatis ». *d'Achery*, Spicilegium III 614. Cf. *O. Dobiache-Rojdestvensky*, La vie paroissiale en France au XIII[e] siècle. (Diss. Paris 1911) 116.

praebeatur ab hodie. Dixit haec et discessit, et ecce sequenti die custos maturius surgens invenit omnia vela usque ad minimam pallam, sicut prius fuerant restituta. Tunc concito cursu quanto pridie truculentior, tanto nunc laetior nuntiavit Eligio, atque ille accedens omniaque sicut dudum fuerant, suis in locis composita cernens, martyram quidem laudavit, sed Christi Domini nomen, sicut et semper, uberius cum hilaritate magnificavit.

MGH Script. Rer. Merov. IV 686; *d'Achery*, Spicilegium (Parisiis 1723) II 87; PL 87, 503.

7.

Ex eadem Vita S. Eligii.

II. 21. Alio vero tempore cum dioeceses suas, ut episcopis mos est, visitaret, exstitit quaedam certa causa, ut in una basilica interdiceret cursum vel oblationem, quousque ipse iuberet, celebrari. Erat autem illic presbiter quidam malae conscientiae saucius, cuius videlicet ob culpam excommunicatio processerat, qui episcopi iussis minus obtemperandum credens, verbaque eius leviter valde ferens, cum longius eum a loco illo abiisse aestimaret, mox signum Ecclesiae statuta hora sicut mos erat pulsare coepit. Tunc ad confutandam humanam praesumptionem magis insensibilis quam rationabilis creatura verbis episcopi parens, veluti sibi interdicto silentio, nullum ad pulsantis nisum signum reddidit sonum; deinde presbiter diutius funem terebrans, cum cerneret tinnulum omnino permanere mutum, egressus protinus basilicam, causam cunctis manifestat. Tunc autem Eligii reminiscentes excommunicationem, post eum nonnulli quantocius properant, ac reconciliari ab eo Basilicam exorant: sed ille quamvis esset benignus, noluit tamen tam calide, priusquam satisfactio praecederet, sententiam flectere. Sic ergo transacta die una ac nocte cum saepissime presbiter quatere signum tentaret, nullum pulsanti praebuit sonitum. Transiit quoque et sequens nox cum die, et nec sic quidem sonum produxit; fluxit nihilominus et tertia dies cum nocte, sed nec tandem sonum aliquem reddidit: postea vero crebris discurrentibus nuntiis cum optimatum et seniorum epistolis, tandem eorum precibus victus,

necnon et poenitentiae satisfactione praelata, solo verbo Eligius reconciliavit locum, et mox signo tacto sonus pristinus rediit in tintinnabulum.

MGH l. c. 713; *d'Achery,* Spicil. II 108; PL 87, 554.

8.

780. *Vita S. Virgilii*[1].

Theodobertus dux agros aliquos et cellam Sancto Maximiliano et Rudberto episcopo Iuvavensi (Salzburg) in proprietatem sedis episcopalis tradiderat. Hoc ignorans Otilo dux Baioariae postea eandem terram Urso presbytero, amico suo, in beneficium dederat. S. Virgilius postquam mortuo Rudberto episcopus Iuvavensis factus est, rogavit Otilonem, ut sedi episcopali proprietatem restitueret. Cum Otilo Ursum amicum suum contristare nollet, S. Virgilius saltem medietatem terrae illius petiit:

Porro Virgilius episcopus iussit ibi domum suam aedificare, et omnem medietatem de eo, quidquid ad ipsam Ecclesiam venerat, in omnibus quibuslibet causis S. Rudberto conquisivit, et suos presbyteros ibi iugiter manere fecit, qui hoc providebant: et ideo magna contentio saepissime contigit. Idem autem Ursus presbyter una cum adiutorio Otilonis ducis fecit ibi aliam ecclesiam, cum qua voluit ipsam medietatem S. Petro a Iuvavensi potestate abstrahere, et unum vacantem Episcopum nomine Liuti advocavit, qui ipsam discordiae ecclesiam consecravit. Quo

[1] Sepulchrum S. Virgilii anno 1181 Salzburgi inventum est. S. Virgilius episcopus consecratus est a. 767, 17. Kal. Iul., obiit a. 784, 5. Kal. Decembris. Propter plurima miracula quae ad eius eiusque successorum Hartwici et Eberhardi invocationem patrata sunt, fama eius per totam Bavariam divulgata est, ita ut permulti fideles ad eius sepulchrum confluerent. Fortasse hac de causa clericus quidam — probabiliter Salzburgensis, nam pluries se ipsum adfuisse testatur — vitas et miracula eorum conscripsit. Hoc factum est, sedente Chunrado III archiepiscopo, qui post mortem Christiani archiepiscopi Moguntini die 25 Aug. 1183 ad priorem sedem rediit. Auctor Vitae S. Virgilii materiam fere totam ex libello de conversione Bagoariorum et Carant. hausit. Sic *Wattenbach* ap. Pertz, MGH Script. XI 84, qui aliam recensionem Vitae refert, in qua narratio de ecclesia Discordia supra memorata non continetur.

cognito Virgilius episcopus excommunicavit (ecclesiam) et appellavit Discordiam et omnibus presbyteris contradixit, ut nemo ibi cantaret missam nec aliud officium Dei, et ita excommunicata permansit, quousque Virgilius episcopus vixit. Haec omnia Virgilius episcopus a viris valde senibus atque veracibus diligenter perquirere studuit, posterisque ad memoriam scripta dimisit.

Mabillon, Acta SS. Ord. S. Benedicti, Saec. III Pars II 283 s. (Venetiis 1734).

9.

869. *Ex epistolis Hincmari.*

Brevis conspectus: Hincmarus senior a. 845 archiepiscopus Remensis factus est; eius nepos, cui idem nomen Hincmarus erat, ab anno 858 ecclesiam Laudunensem (Laon) gubernavit. Initio amicus Caroli regis H. Laud. brevi imprudenter agendo iram regis contra se excitavit ab eoque ut rationem redderet ad synodum comprovincialem in regio palatio Vermeria die 24 aprilis 869 celebrandam vocatus est. Episcopus timens ne in synodo poena afficeretur, priusquam profectus est, clericos suae dioecesis convocatos obligavit, ut, ubi primum in synodo aliqua violentia contra eum exerceretur, statim omnes a divinis officiis penitus cessarent. In hac tamen synodo nihil contra eum actum est, probabiliter propter intercessionem Hincmari Remensis. Cum vero nihilominus in sua imprudentia persisteret, rex eum paulo post, scil. die 28 Maii, in palatio Silvaco (Servais) in carcerem detrusit. Antea episcopus clericos suos iterum de divinis officiis in tota dioecesi omittendis monuerat, ut populus contra regem moveretur.

Clerici Laudunenses in angustias redacti, cum contra vetitum episcopi agere non auderent, statim per epistolam ad Metropolitam, Hincmarum Remensem recurrerunt. Hincmarus nisus auctoritate sua metropolitana prohibitionem episcopi irritam declaravit divinaque officia statim resumenda esse jussit. Simul ad nepotem suum epistolas misit, in quibus eum propter tam inauditum modum procedendi vehementer vituperavit pluriesque rogavit, ut ipse quoque prohibitionem suam revocaret. Sed frustra. Immo Laud. respondet se secundum doctrinam ecclesiae, praxim Apostolicae sedis et ipsius archiepiscopi Remensis egisse.

E plurimis et perlongis epistolis aliquos tantam textus eligimus, qui omnes de eadem re agunt.

De Hincmaro multum scriptum est, conferri possunt inter alia: *H. Schroers,* Hinkmar von Rheims (Freiburg 1884); *C. von Noorden,* Hinkmar von Rheims (Bonn 1863); *von Hefele*, Conciliengeschichte IV

380, 490 et passim; *Lesne*, Hincmar et l'empereur Lothaire (Paris 1905); *H. Netzer*, Hincmar, in: Dict. de Théol. Cathol. X 2482; *Manitius* I 339, qui amplissimam bibliographiam de Hincmaro refert; *I. Beckmann*, in: Lexikon f. Theol. u. K. V (1933) 64.

a. — *Ex responso Hincm. Rem. ad clerum Laudun. (ep. I).*

Hincmarus refert ea, quae Laudunenses scripserant, quomodo episcopus, priusquam Vermeriam profectus est, clericos suos congregaverit; sequitur:

Sed quia credebat in ipsa synodo, quod mos haud exposcit canonicus, aliquam violentiam sibi inlegaliter et contra leges canonum a quocumque fieri, sermone contestatorio et auctoritate sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parochiae suae colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tamdiu uteretur, usquedum ille nobiscum iterum viva voce loqueretur; aut litterae ex ipsa sancta sede beati Petri Apostoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silvaco palatio V. Kal. Iunias peractum est. Qua tamen die priusquam ad ipsum Silvacum perveniret, praescius venturae violentiae suae, praedixit socerdoti nostro Clarentio, simulque diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos servaturos, quae causa suarum iniuriarum, et ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum, in praescripta synodo XIII. Kal. Maias omnibus sacerdotibus suae parochiae observare auctoritate sancti Petri ipse praeceperat. Et post aliquanta: Quapropter quia eumdem dominum nostrum regia potestate retentum et reclusum viva voce audire non poteramus, et sacerdotali ministerio prohibiti ab eo frui non audebamus, III. Kal. Iunias ad capitolium nostrum convenimus: et ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde consilium nostrae salutis a sacra paternitate almitatis vestrae humiliter deposceremus, utrum sacerdotalis ministerii officio Missas celebrando, et Domino pro receptione pastoris nostri ac communi utilitate totius sanctae ecclesiae sacrificia offerendo, baptizando pueros, visitando infirmos, reconciliando cum viatico munere poenitentiam petentes, sepeliendo mortuos, cum penitus ab his omnibus prohibiti simus. Et paulo post: in parochia nostra uti debeat, an non, et reliqua.

Quam relegens satis superque dolui fateor, quia dilectus frater et coepiscopus noster Hincmarus contra episcopalem gravitatem, et contra evangelicam veritatem, atque Apostolicam et canonicam auctoritatem, talia inconsulte causa suarum iniuriarum agere praesumpsit, qualia nullus ante ipsum episcopus egit: quae non modo sacrarum scripturarum tramiti contraria, et decretis sunt sanctorum adversa, verum et saluti humanae ac universae Christianitati sunt inimica...

Unde, fratres carissimi... ad praefatum fratrem et coepiscopum nostrum Hincmarum has quae sequuntur litteras auctoritate metropolitana dirigere necessarium duxi; monens illum paterna ac fraterna dilectione, ut iuxta beati Papae Hilarii decreta ipse quantocius iniquum factum suum dissolvat...

Cuncta quae de capitulis in vestra petitione conscriptis contraria divinae auctoritati, quae tenetur in subditis, aut verbo praecepit, aut scripto decrevit, irrita et vacua et nullius virtutis vel auctoritatis esse pronuntio atque decerno; vobisque ministris ecclesiae Laudunensis parochiae praefata auctoritate praecipio, ut et in Missarum celebrationibus, et in ceteris officiis, tam diurnis quam nocturnis, et in distributione secundum traditionem Domini sacramentorum coelestium fratribus et populis consulendis, sed et in baptizandis parvulis, et in suscipiendis poenitentiam indigentibus, et in subveniendis viatico munere secundum sacros canones obeuntibus, et in sepeliendis mortuis, sine ulla retractatione aut negligentia, quantum patitur humana fragilitas, secundum tramitem sacrarum scripturarum traditionemque maiorum divina munia exsequendo fratribus et populis consulere studeatis: scientes vos ordinum vestrorum sustinere iacturam, si confessi aut regulariter convicti fueritis de proximorum per vestram negligentiam, quod absit, periculo.

Mansi XVI 810; PL 126, 512.

b. — *Ex ep. Hincm. Rem. ad H. Laud. (ep. II).*

Hincmarus Remensis scribit se audisse a clero Laudunensi episcopum omnia divina officia vetuisse; quapropter eum vehementer arguit:

Quam novitatem a saeculo hactenus inauditam, frater carissime, satis contremiscens exhorrui. Unde augentur mihi lacrymae:

gemitus se in meo corde non capiunt, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quod tu talia filius meus in tempore isto novitatis praesumptione, quae de superbia descendere noscitur, agis qualia nunquam ullus episcoporum legitur praesumpsisse...

Episcopus violentiam sibi illatam patienter sustinere, nunquam vero eam tali modo ulcisci debet.

Et sanctus Gregorius scribens ad Ianuarium dicit: « Inter querelas multiplices, inquit, Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quam ob rem factum fuerit dum a clerico tuo, qui praesens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo quod te iniuriaverat factum innotuit. Quae res nos vehementer afflixit. Quia si ita est, nil te ostendis de coelestibus cogitare, sed terrenam te habere conversationem significas; dum pro vindicta propriae iniuriae, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cetero omnino esto circunspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione iniuriae tuae inferre denuo non praesumas. Nam si tale aliquid egeris, in te scias postea vindicandum.

Et oblata mihi petitio Laudunensis ecclesiae hanc inauditam antea excommunicationem causa iniuriae tuae a te, priusquam ipsa iniuria tibi irrogaretur, depromptam fuisse demonstrat. Quae etiam praeterita proxima Dominica die IV. videlicet Kal. Iunias praesentis secundae indictionis, Missarum celebratione praetermissa in Laudunensi parochia, proh dolor! exstitit exsecuta...

Unde pro tuis iniuriis non debueras presbyteros excommunicare ab officio celebrandi sanctum sacrificium;...

Continetur etiam in praefata petitione ab ecclesia Laudunensi exiguitati meae oblata, te prohibuisse nulli communionem, nec etiam obeunti ultimam poenitentiam, vel viaticum munus in parochia tua tribui, nullum infantem in eadem parochia baptizari, nullum mortuum sepeliri, si tibi licentia eundi Romam prohiberetur, aut captus tenereris; usque dum tu ipse viva voce cum eis loquereris, aut litterae tuae a sede Apostolica ecclesiae Laudunensi mitterentur...

Igitur, quantum ex te est, haec crudelitas tua omnem crudelitatem omnium paganorum, et omnes persecutiones omnium persecutorum, quae Christianis inlatae fuerunt, excedunt,

dicente Domino: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ». (Mt. 10, 28). Tu autem, frater, quantum ex te est, et animam et corpus mittis in gehennam; et non solum illos omnes occidis, quos sine baptismate, aut sine poenitentia et communione de hoc saeculo exire praecipiendo facis; verum et omnes presbyteros reos mortis illorum efficis...

Timere debueras, ne solus hoc ageres, quod nullus Christianorum unquam facere ausus fuit...

Qua de re, frater, vide ne tu sis homicida, et etiam homicidarum homicida, quia sacramenta coelestia plebi subtrahi facis, sine quibus vivere non potest, cum adsint qui eadem sacramenta licite plebi valeant ministrare...

Alligans eos ne divina munia populis exsequantur, quorum interest sacra Missarum officia celebrare, mysticam distributionem spiritualis alimoniae, corporis scilicet et sanguinis Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum fidelibus distribuere, per lavacrum regenerationis de potestate diaboli in Regnum Christi non baptizatos transferre; per ianuam reconciliationis et viatici muneris sanctificationem animas ab aeterno interitu liberare...

Nam si te provocante aliquid tibi adversi accidit, patienter ferre debueras, usque dum ego qualiscumque metropolitanus tuus cum coepiscopis et confratribus nostris domini nostri regis clementiam pro te adirem; et sicut iam fecimus, quod iuste et rationabiliter ab eo postularemus, utique obtineremus. Unde nihil dubitamus quin Domino cooperante obtinebimus quod iuste et rationabiliter postulabimus, tantum ut tua insolentia nostris petitionibus non obsistat...

Et si, quod absit, his sacris ac regularibus monitis obedire renueris, scito metropolitana auctoritate fulta Apostolicae sedis, et canonun sacrorum iudicio, sicut praemisimus, hanc pestiferam atque mortiferam excommunicationem tuam solvendam...

Mansi XVI 813; PL 126, 516.

c. — *Ex ep. Hincm. Rem. ad H. Laud. (ep. III).*

Hincmarus Remorum episcopus, dilecto fratri Hincmaro Laudunensi coëpiscopo nostro, salutem.

Ante non longum tempus inconvenientes atque inlicitas excommunicationes in eos etiam qui ad te non pertinebant ita

praecipiti et perturbata contra sacras regulas iaculasti, unde maximum scandalum in hoc regno, et in ista ecclesia commovisti: de quibus excommunicationibus nuper in Vermeria te una cum fratribus, et coëpiscopis nostris conveni: easque licet non sine tui calumniosa invidia his quibus ipsas maledictiones irrogaveras quomodo dissolvisti, a nobis commonitus ut in proferenda sententia de cetero nullatenus praeceps exsisteres: sed tu addendo peiora prioribus, sicut data mihi petitio a Laudunensi ecclesia monstrat, in vindictam iniuriarum tuarum praecepisti, ut in commissa tibi parochia nemo Missam cantaret, nemo communionem sacram perciperet: cum Dominus tradens sacrosanta mysteria corporis et sanguinis sui celebranda suis discipulis, et per eos omnibus sacerdotibus, dixerit...

Praecepisti quoque ut nemo parvulos, etiam mortis urgente periculo in tua parochia baptizaret, cum Dominus dicat...

Vetuisti nihilominus, ut nemo quemquam ultimam poenitentiam vel reconciliationem reciperet, vel poscenti ultimo sacrae communionis viatico subveniret, cum Dominus omnibus praedicet...

Iussisti etiam maximam inhumanitatem, ut nemo mortuum in tua parochia sepeliret, cum Dominus... iubeat...

Mansi XVI 823; PL 126, 526.

d. — *Ex ep. H. Rem. ad dioecesanos Laud. (ep. IV).*

Hincmarus Remorum episcopus ac plebis Dei famulus, presbyteris, diaconibus, ac reliquis ecclesiasticis ordinibus in Laudunensi ecclesia consistentibus, salutem.

Sicut petitio mihi a vobis per quosdam comministros vestros vice omnium vestrum data continet, frater et coëpiscopus noster Hincmarus causa iniuriarum suarum vos ab officio ecclesiastico, et omnem parochiam sibi commissam a perceptione et communione vivificorum mysteriorum nostrae redemptionis excommunicavit. Qua de re, sicut a quibusdam dicitur, plurimi sine sacri baptismatis regeneratione, et sine ultima poenitentia petita et non impetrata atque sine viatico munere obierunt...

Illud nefandum vinculum... sicut iam vobis aliis litteris intimavi... auctoritate sedis metropolitanae noscitur dissolutum;....

Presbyteros vero assidue decertare hortentur et faciant, ut vigilare super greges sibi commissos non negligant, ne ab eis

flagitia perpetrentur, vel perpetrata sine correctione ecclesiastica non remaneant. Ne parvuli sine regenerationis sacramento moriantur. Ne sani homines absque praedicatione et ecclesiastico ministerio fiant. Ne infirmi sine poenitentia et reconciliatione, ac sancti olei unctione et viatico munere de hoc saeculo exeant. Ne mortui sepeliendi officio, et pia commendatione secundum traditionem ecclesiasticam aliquo modo careant.

Mansi XVI 826; PL 126, 531.

e. — 871. *Ex Hincmari Libello expostulationis.*

In concilio in villa Douci (apud Mouson, départ. Ardennes) Hincmarus Remensis accusationes suas contra Hincmarum Laudunensem in Scedula, sive Libello expostulationis in 35 capitibus protulit. In his allegantur ea quoque, quae Laudunensis ad suam defensionem responderat. De nostra qnaestione agit inter alia in c. 28:

Scribit (scl. Laudunensis) etiam in Rotula quam per Clarentium presbyterum suum mihi transmisit hoc modo: « Tam intentative in Attiniaco de excommunicatione a me in parochia mea facta interrogatus sum. Tantummodo hoc interea pando, eo quod vos inauditam illam ac contra Apostolicam doctrinam, et contra ecclesiasticam veritatem fuisse asseratis factam. Non aliam illam feci, quam a vestra vivae vocis doctrina faciendam didici, et vos ea quae iure destruxistis, ab re aedificare non debetis. Immo et quam in Romana sede Apostolica auctoritate cognovi praeinditam, et de qua eamdem mihi sedem declamo fore auctricem: cuius interest et de illa a me facta excommunicatione iudicare, et de vestra resolutione decernere ».

Ad quae rescribo...

Multis verbis in hoc capite exponit interdictum Laudunensis episcopi contra leges ecclesiae fuisse. In c. 29. reiicit affirmationem Laudunensis, se in sua excommunicatione solummodo exemplum Remensis archiepiscopi secutum esse:

Et quia mendacium erat quod dixit, me excommunicasse homines villae de ipsa rusticana parochia, et infantes sine baptismate, et homines sine communione in ea excommunicatione inde obiisse; mox illi remandavi, quoniam nulli unquam in mea parochia, postquam fui ordinatus episcopus, baptismum,

vel viatici muneris communio, a me, vel a quoquam comministro meo denegata fuere: sicut omnes in parochia mea tam ecclesiastici quam et saeculares, tam viri quam et feminae sciunt.

Mansi XVI 623; PL 126, 612.

10.

878. *Annales Fuldenses. Pars III Auctore Meginhardo*[1].

Lantbertus Witonis filius et Adalbertus Bonifacii filius Romam cum manu valida ingressi sunt et Iohanne Romano Pontifice sub custodia retento optimates Romanorum fidelitatem Carlmanno [sacramento] firmare (iuramento) coegerunt. Quibus inde discedentibus idem pontifex domum sancti Petri ingressus omnes thesauros, quos ibi repperit, ad Lateranis transtulit et altare sancti Petri cilicio cooperuit et cuncta hostia eiusdem aecclesiae clausit nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est; et, quod dictu nefas est, omnibus (undique) illuc causa orationis venientibus negabatur introitus erantque ibi omnia confusa.

Scriptores Rerum Germanicarum in usum scholarum ex MGH recusi. — Annales Fuldenses, post editionem Pertzii recognovit *Fr. Kurze* (1891) 91; vel *Pertz*, MGH Script. I.

Nota. Eundem eventum ipse Ioannes VIII in sequenti epistola a. 878 describit:

Epist. Ioh. VIII ad Ioannem archiepiscopum Ravennatem. (Epist. 84). ..... Igitur omne pene territorium S. Petri suis tyrannice devastantibus hominibus, [Lambertus Spoletanus] cum immensa populi multitudine Romam venit: nos autem illum quasi dilectum amicum apud beatum Petrum apostolorum principem honorifice recepimus: sed ipse quasi ovili pelle indutus, solita repletus nequitia, munereque corruptus ingenti, contra nos insurgere non dubitavit. Nam portas civitatis Romanae violenter, immo fraudulenter cepit, totamque urbem Romam; ac per dies plurimos homines suos ita arctius retinere fecit, ut neque proceres Romanorum, nec episcopi et sacerdotes, neque etiam familiares nostri ad nos nisi maxima supplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam nostra nobis venire instantissime prohibebant. Venerabiles item episcopos, presbyteros atque diaconos religiosos monachos cum hymnis et canticis spiritualibus, sacrisque litaniis ad ecclesiam principis aposto-

[1] Cf. Wattenbach I 249; Manitius I 673.

lorum venientes, heu proh dolor! more paganorum conturbaverunt, et fustibus caedentes nequiter disperserunt, non sinentes illos exire, debitumque Deo sacrificium offerre. Inimicos quoque, atque infideles S. Romanae ecclesiae et nostros, quos una cum vestro consensu et subscriptione bis ac tertio iam excommunicatos damnatosque habemus, super nos temere conduxit: eosque in urbe Roma sine nostra voluntate immisit. His itaque nos praeiudiciis et iniuriis multiplicibus gravati, cum tota sede apostolica tristes adeo per dies multos extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere nisi flere liceret: nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare sancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis peiora inferre, nisi eius obtemperemus humiliter voluntati..... audimus eumdem Lambertum satellites suos velle colligere, Romamque rursus expugnaturum adire. Nos vero hoc scientes anathematis sententiam in eum et in omnes sequaces eius, si contra urbem Romam, et ecclesiam Romanam aliquam rursus veniens contrarietatem, vel molestiam aut perturbationem inferre quolibet modo praesumpserit, in ecclesia beati Pauli doctoris gentium protulimus.

Mansi XVII 72 s.; PL 126, 756, ep. 107; IL 3122.

De eadem re Iohannes VIII in compluribus epistolis ad varios principes scribit. — Ad solvendam quaestionem an narratio de divinis officiis in ecclesia S. Petri omissis supra ex Annalibus Fuldensibus relata de interdicto explicanda sit, animadvertere juvat, in 308 epistolis a Iohanne relictis saepius quidem de excommunicatione nunquam vero de interdicto sermonem esse.

11.

943-44, Iul. 20. Cartularium monasterii Benedict. S. Michaelis (Saint-Mihiel, d. Verdum).

Destructio capellae Masiriaci, quae structa erat in iniuriam aeclesiae Aciaci.

In nomine Salvatoris nostri Iesu Christi. Notum maneat omnibus christiane fidei cultoribus qualiter actum sit de quadam capella iniuste constructa in loco nuncupato Masiriaco (Maizerais, Meurthe-et-Moselle, arr. de Toul) super fluvium Mattis (Le Rupt-de-Mad), quam potestas beati Stephani Mettis civitatis ex villa quae vocatur Novi Sartis (Nonsard) nuper inrationabiliter et contra legem canonice auctoritatis construxerunt, auferre cupientes partem decimae Aciacensis (Essey) aecclesie quae iure

illi debebatur ex die quo primum fundata est. Vuidricus enim quidam comes depravatus consilio quorundam iniquorum hominum fieri iussit prefatam capellam. Ex cuius indigne constructionis facto, mox proclamatio facta est, sicque veniens Ludelmus, Tullensis episcopus, (895-906) ad eundem locum, nolarium ipsius capellae evertit, campanas cum vestibus sacerdotalibus secum detulit, ipsam capellam anathematizavit secundum aecclesiasticam auctoritatem omnesque qui ad predictum locum deinceps attenderent a liminibus catholice aecclesie reppulit. Quam rem Drogo episcopus (Drogon, ep. 906-922), successor ipsius in synodo sancta nihilominus verbis et excommunicationibus confirmavit. Et tali ordine prescripta capella in omni tempore detenta est et proclamata iuste, donec ipsa res ad certum devenit finem in presentia Gauzlini Tullensis episcopi (ep. 922-962) et Adalberonis Mettensis presulis. Nam cum inde temporibus illorum longa contentio facta fuisset, rursus Gauzlinus episcopus eandem aecclesiam destruxit, excommunicavit, domum magis canum quam sanctarum reliquiarum esse destinavit. Quae contentio, iussu Ottonis ducis (Lotharingiae) et Rotberti archyepiscopi (Trevirensis, 931-956), ad talem tandem pervenit finem: in villa Aciaco simul convenientes sepe fati episcopi Gauzlinus et Adalbero cum suis ex utraque parte archydiaconibus et ministris aecclesiarum septem presbiteros fecerunt ex utraque parte iurare, ut ex hoc vera dicerent. Quod sacramentum peractum, omnes una voce dixerunt iniuste capellam fuisse structam et decimam ab aecclesia sancti Michaelis Aciaci ville ablatam. Sicque iudicio episcoporum et archydiaconorum, presbiterorum, nobilium et ignobilium virorum, Bransinus, presbiter Novisartis, reddidit per vadium Gonthaldo, presbitero aecclesiae sancti Martini, ipsam decimam et Letardo pape cenobii almi Micahelis, et ipsa capella a fundamentis destructa est, et aeternaliter aecclesiastico more dampnata, ne umquam instauretur nec decima a prefata aecclesia auferatur. Hac ergo contentione legaliter finita, decretum est ab episcopis et ab omnibus qui in eodem fuerunt conventu ut inde scriptum tale factum esset, in quo posteri recognoscerent qualiter super hac re factum fuisset, Quod scriptum utrique episcopi fieri iusserunt. Si quis prescriptam capellam temerarius instaurare voluerit et scriptum hoc

infrangere conaverit, excommunicatione perpetualiter dampnetur et bannum ecclesiasticum atque regium persolvat. Signum episcoporum... etc.

A. Lesort, Chronique et chartes de l'abbaye de *Saint-Mihiel* (1909) 110; Mémoires et doc. publiés par la soc. nat. des antiquaires de France, *Mettensia VI.*

12.

Ante 972. *Codex Bellovacensis (Beauvais) ecclesiae. Du Cange in codice manuscripto Bellovacensis ecclesiae Capit. Caroli M. decretum Hildegarii episcopi (ob. 972) invenit:*

In Christi nomine ego Hildegarius episcopus Bellovacensis ex parte Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ex parte S. Petri Apostolorum principis, et ex nostra parte excommunicamus et interdicimus hanc Ecclesiam, et omnes Capellas, ad illam aspicientes, ut nullus habeat licentiam Dei omnipotentis, et S. Petri Apostolorum Principis, ab hac die in antea Missam cantare, nec audire, nec ullo modo divinum officium ministrare, nec decimam Dei omnipotentis accipere, nisi per nostram licentiam: et quicumque contra haec Interdicta, aut Missam cantare, vel audire vel in aliquo loco divinum officium ministrare, aut decimam Dei omnipotentis accipere praesumpserit, ex parte Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti, et ex parte S. Petri, atque Sanctorum omnium sit excommunicatus, et maledictus, et a consortio Christianorum segregatus, et a liminibus sanctae matris Ecclesiae, ubi fit remissio peccatorum, separatus, et sit anathema maranatha usque in finem saeculi cum diabolis in inferno. Fiat, fiat, fiat, Amen.

Du Cange, Glossarium ad Scriptores m. et inf. Latinitatis (Paris 1733) Tomus III, 1486 ad v. Interdictum: in ed. nova (1885) IV 391.

13.

991. *Ex archivo ecclesiae Urgellensis (Urgel, Hispan.).*

Excommunicatio quam Salla episcopus Urgellensis fecit adversus invasores rerum ecclesiasticarum.

Universis episcopis circumquaque ubique commanentibus per quadrifida climata cosmi, Sanlanus Dei gratia humilis Urgellensis episcopus. Gratia vobis et pax a Deo semper multi-

plicetur. Vestris auribus, o sanctissimi patres, nostra lingua nequit effari nec litteris comprehendi quantas et quales persecutiones nobis a pravis et perversis hominibus cotidie inferuntur. Adtamen, necessitate cogente, vel pauca de multis vobis intimare satagimus.

Anno denique presenti nongentesimo nonagesimo primo trabeationis dominicae emerserunt se viri iniqui ad destruenda ecclesiastica iura, ut everterent animos Principum qui videntur terere vel regere terras vel Comitatos diocesaneos Ecclesiae nostrae principalis, Genitricis videlicet Domini nostris almae Mariae, cui Deo auctore deservimus. In tantum excrevit malitia eorum ut ad illorum suasionem Comites vel Principes nostri vi auferrent a nobis et ab Ecclesia cui largiente Christo praesidemus omnes diocesanas Ecclesias et omnem censum quod iure episcopali debetur exsolvere nobis de duobus comitatibus integris, Cerdaniensem scilicet et Berchitanum, nulla culpa super nos existente; sed semper cum humilitate ac satisfactione requisivimus eos. Et non solum easdem Ecclesias suffraganeas abstulerunt, sed insuper ipsas fruges omnes vel decimas quas praeterito anno Dominus ibidem dedit, necnon et nostros ministeriales exinde cum vi expulerunt.

Ob id denique obsecramus nimium sanctitatem culminis vestri, ut ipsos nefandos homines, qui animos Principum vel Comitum ad hoc nefas excitarunt, id est, Arnaldum et Radulfum, excommunicare ne differatis, necnon et omnes sequaces eorum, simul et ipsas Ecclesias omnes cum illorum terminos qui sunt in supradictis comitatibus, ita ut nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus Diaconus nullus Clericus, cuiuscunque sit ordinis, audeat ibi ullum ministerium ecclesiasticum facere vel celebrare usque ad legitimam satisfactionem vel emendationem veniant, et ipse episcopatus canonice sit redditus Ecclesiae generali cui a Deo est adtributus, et in... dicti rei de me Sanlane Episcopo absolutionem accipiant.

Sane ipsam Comitissam Ermengardo cum filios et filias suas ab hac excommunicatione excludimus et separamus atque sequestramus, et volumus atque nostra absolutione firmamus ut in qualicunque Ecclesia in... comitatibus venerint, licitum sit illis ibidem orare et Missas audire et divinum officium celebrare; ipsaeque Ecclesiae tamdiu sint solutae quandiu illi Comites et illa Comitissa intus perstiterint. Excommunicationem quoque

taliter in conspectu vestro volumus fieri sicut subter insertum est, vobis in eadem consentientibus vel subscribentibus.

Sanctam itaque individuam invocantes Trinitatem, auxilium quoque omnium sanctorum nobis petentes exoramus, ut Arnaldum et Radulfum, qui animos Comitissae Ermengardis vel animos filiorum illius ad hoc incitarunt, ut auferrent episcopatum Cerdaniensem vel episcopatum de Berchitano de iure vel ditione sanctae Mariae sede Vico vel de potestate Sallani Episcopi, et omnibus in hoc errore consentientibus, Dominus in sua virtute comprimere eos et brachia illorum alligare dignetur. Sequentes quoque apostolicam sententiam, eos et omnes sequaces eorum a liminibus sanctae Dei Ecclesiae sequestramus, et a corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi separamus, et ab omni consortio sanctae religionis Christianae disrumpimus ipsos et omnes quicumque partibus illorum consenserint aut illis adiutorium praebuerint. Ab hodierno die et deinceps maledicti et excommunicati permaneant usquequo ad satisfactionem veniant aut venire voluerint. Si quis vero superbus aut contumax huic nostrae definitioni adsentire noluerit, vel hanc excommunicationem observare neglexerit, hunc divino zelo accensi cum Iuda Domini proditore aeterna punitione sub anathematis vinculo, nisi resipuerit, in inferno damnatum contradimus. Qui vero hujus excommunicationis pro Dei timore observator extiterit, gratiam et misericordiam a Domino nostro Iesu Christo consequatur. Amen. Salla gratia Dei Episcopus Orgellensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscribimus et confirmamus. Aimericus Episcopus Ecclesiae Ripacurcensis hanc constitutionem confirmavi atque subscripsi. [1]

Baluzius, Capitularia Regum Francorum II 675 s, Paris 1780; *Mansi*, XVII appendix 467 s.; PL 87, 950.

---

[1] *Baluzius* addit: Salla, Episcopus Urgellensis filius fuit Isarni Vicecomitis Urgellensis, et frater Bernardi Vicecomitis Urgellensis. Ante vero quam Episcopus fieret, erat Archidiaconus Urgellensis. Bernardus autem uxorem habuit Guistam Vicecomitissam. Salla erat adhuc Episcopus IV. Nonas Iulii anno duodecimo, regnante Roberto Rege. Ista ego collegi ex veteribus Monumentis Ecclesiae Urgellensis, in quibus praeterea leguntur: Salla Episcopus Urgell. sedit in Episcopatu annis triginta. Iste sanctus creditur a multis. L. c. II 1304

14.

991. *Alia formula Sallae ep. de eadem re.*

...Ob hoc igitur ego Salla indignus, non meis meritis, sed nutu Dei Episcopus, tanta audita sanctorum patrum canonum instituta cum consensu et adiutorio Domni Vivani Barchinonensis Episcopi, seu etiam Domni Aimerici Episcopi, cum Canonicorum et sacerdotum nostrorum necnon et Abbatibus vel monachorum suffragia, accensi flamma Spiritus Sancti, excommunicamus atque alligamus omnem episcopatum Cerdaniensis vel Berchitanensis ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et omnes Ecclesias, quae in dictos comitatus sunt, tam praecipuas quam suffraganeas, qui infra eius termines sunt, ut non habeat ibidem nullum ministerium sacerdotale factum, nisi per nostra propria voluntate, aut per nostra propria voluntate de feria tertia post Dominicam primam de quadragesima inantea usquequo praedictus Episcopatus redditus sit ad sancta Maria et in nostra sit potestate cum ipsas parrochias quod nobis abstulerunt vel rapuerunt et cum ipsos oblatos qui exinde exierunt.

Verumtamen sciatis quia ipsa Comitissa Ermengardo cum filios et filias suas nec excommunicamus, nec nullius vinculo canonicae damnationis contra eos facimus, sed tantum omnes homines tam Clericos quam Laicos qui hanc malitiam tractaverint adversus sancta Dei Ecclesia, et consilium dederunt et ipsa Comitissa et filios suos de hunc maximum peccatum, et vastatores fuerunt atque raptores et fraudatores vel sacrilegi et fures, sicut Iuda proditor.

Baluzius l. c. II 677 s.; Mansi XVII, app. 469 s.; PL 87, 951 s.

15.

994. *Ademarus Cabanensis*[1]. *Historiarum libri III.*

Lib. III 35. Saepe idem Alduinus [ep. Lemovicensis] pro nequicia populi novam observantiam constituit, scilicet ecclesias

[1] Ademarus a. 988 in dominio Chabannes prope Limoges natus est. Inter cognatos ejus Turpin d'Aubusson, episcopus Lemov., Adalbertus praepositus et Roger cantor monasterii S. Martialis (Limoges)

et monasteria cessare a divino cultu et sancto sacrificio, et populum quasi paganum a divinis laudibus cessare, et hanc observantiam excommunionem [excommunicationem] censebat.

ed. *Waitz*, MGH Script. IV 132; PL 141, 52.

16.

995. *Epist. Gerberti*[1] *ad Anonymum.*

Quanto moderamine salus animarum tractanda sit, et vestra fraternitas novit, summopere pensandum est, ut ne quid nimis. Ecce enim dum iudicii severitatem in Ecclesiam sanctam exercetis, modum a Patribus constitutum transcendistis. Nam quae concilia vel decreta parvulos baptizari, vel fideles in cimiteriis sepeliri vetuerunt? Quod si is locus interdicto vestro, et ut solemniter dicamus, vestro banno iure tenetur adstrictus, liceret innocentibus parochianis ad alia transmigrare loca, suisque legaliter uti sacris. Moneo igitur paternitatem vestram modum iudicii temperare, totumque negotium ita pertractare, ut ante oculos divinae Maiestatis placere possitis, et Coepiscoporum iudicio non displiceatis. Varios mali temporis diu iam sufferens motus, ad vestrum solatium tanquam ad tutissimum confugio portum. Alioquin aut vestra solabimur ope, aut peregrina nobis expetenda subsidia.

I. Havet, Lettres de Gerbert (1889) 192 ep. 203; haec epistola sec. Havet fortasse ad Fulconem episcopum Ambianensem (Amiens) directa est.

---

erant. Iam puer in monasterium S. Eparchi (Saint-Cybard, Angoulême) educandus venit ibique monachus factus postea saepius quoque in mon. S. Martialis versatus est. Obiit in itinere Hierosolymitano c. 1034. Varia scripta reliquit, de quorum editionibus et bibliographia vide *I. de la Martinière*, Dict. d'hist. et de géogr. eccl. I 535; *Manitius* II 284. Cf. quoque *G. Goerris S. I.*, De denkbeelden over oorlog en de bem. voor vrede in de XI. eeuw (Diss. Leiden 1912) 139.

[1] Gerbertus, natus c. 940, primum monachus Auriliacensis (Aurillac), deinde scholasticus Remensis, 983 abbas Bobiensis (Bobbio), 991 electus archiepiscopus Remensis, 998 archiep. Ravennensis, 999-1003 Pontifex Silvester II. Cf. *Manitius* II 729; *Wattenbach* I 460; *Ueberweg* II 181.

17.

Post 996. *Ex actibus*[1] *Pontificum Cenomanensium (Le Mans).*

Nec longum post tempus, accidit ut faceret Episcopus [Avesgaudus] castellum causa refugii, nomine Dunellum. Quo firmato, venit nocte Herbertus Comes cum multitudine equitum, et cepit illud vi, atque destruxit ante diluculum. Pro qua re petivit Praesul Belismum fratris sui Guillelmi castellum, et inde excommunicavit Herbertum Comitem, totumque Episcopatum suum; et fecit guerram, sed non praevaluit, qualem potuit fortiorem. Utroque autem pacato, iterum absolvit dioecesim suam et venit in civitatem ad manendum...

Evenit autem, sicut saepe evenire solet, ut Herbertus Comes res Ecclesiae rursus invaderet...

Quod cum audisset Praesul, excommunicavit Episcopatum, quamdin in contentione fuerunt.

Mabillon, Vetera Analecta (Paris 1723) 304; Bouquet X 385.

18.

997. *Aimoinus*[2], *Vita S. Abbonis. — Narrat S. Abbonem rogatum a Roberto Francorum rege Romam migrasse.*

C. 11. Praecipua vero earum pro quibus directus est causarum, haec fuit: quia Arnulfus Remorum Archiepiscopus, absque iusta audentia sede sua privatus custodiaeque fuerat mancipatus. Ob hoc, Gregorius V qui Ioanni in Apostolica

---

[1] Hi actus vocantur quoque Gesta episcoporum Cenomanensium, complura saecula complectuntur, diversae partes a variis auctoribus confectae sunt. Nova ed. Chan. *Busson et Ledru*, Le Mans 1901. Vide *Fournier* I 199; *Manitius* III 854; *Wattenbach*, Deutschlands Geschichtsquellen I (1904) 333.

[2] Aimoinus, natus c. 970 in regione Périgord, c. 980 in monasterium Floriacense (Fleury, Saint-Benoit-sur-Loire) venit, ubi ab optimis magistris, inter alios a S. Abbone, instructus est; Abbo postea abbas factus eum in itinere ad abbatiam de La Réole comitem elegit et sub ejus oculis a. 1004 martyrium passus est. Aimoinus Floriaci praeter alios libros historicos Vitam et Martyrium S. Abbonis scripsit. Cf. *P. Fournier*, Dict. d'histoire et géogr. eccl. I 1189; *Manitius* II 239; *Wattembach* I 466.

successerat sede, non solum nobilitate generis, verum etiam probitate clarus mentis, toti Regno Francorum anathema se invecturum comminatus est.....

C. 12. Tunc vere sollicitus pastor Abbo, memor utilitatis loci quem regebat, privilegium illi Apostolicae utilitatis fieri rogavit: quod Deo dignus Papa..... favorabiliter largitus est.....

In eo sane privilegio et inter alia continetur, ut Episcopus Aurelianensis, nisi invitatus, Floriacum nequaquam adeat Coenobium: neve unquam quilibet Pontificum eidem Monasterio divinum interdicat officium, etiam si tota Gallia ob populi peccata anothematis feriatur vindicta a sede Apostolica.....

S. Abbo tale privilegium nullatenus innovationem esse censet, quia aliis quoque monasteriis a Gregorio Papa idem concessum est, ut in sequentibus refert:

Quod autem divinum officium Monasteriis interdici non oporteat, [Gregorius] Ioanni Episcopo de Urbe-veteri scribens, ita asserit: Agapitus Abbas Monasterii sancti Georgii insinuavit nobis, plurima se a vestra Sanctitate gravissima sustinere: et non solum in his quae necessitatis tempore Monasterio aliquod possint ferre subsidium, verum etiam in hoc Monasterio Missae prohibentur celebrari, sepeliri etiam ibidem mortuos interdicis. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, et sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Missas nulla ulterius habita contradictione permittas, ne denuo querelam de his quae dicta sunt praedictus vir venerabilis deponere compellatur.

Mabillon, Acta SS. O. S. Ben. saec. VI 1, 4 2; quam editionem *Fournier* l. c. tamquam optimam considerat; *Bouquet* X 334; PL 139, 401. Textum memorati privilegii Gregorii V vide infra in P. III.

19.

997. *Ex Annalibus*[1] *Ordinis S. Benedicti.*

Ipso tempore Fulco Andecavensium comes, claustri beati Martini sacrum ius violasse accusatus est. Ipsius siquidem clau-

[1] Mabillon hanc narrationem tanquam allegationem affert, sed undenam eam hauserit non indicavit. Fortasse ex aliquo manuscripto quod non iam exsistit? In variis chronicis ecclesiarum Andegavensium, in quantum typis editae sunt, nihil hac de re inveni.

stri locum, omnibus patens refugium, armata manu, quamvis nullis resistentibus, intravit. Domus deinde propugnacula cuiusdam canonici et cellerarii praecipitari iniuste fecit. Cuius rei inauditae atrocitate et magnitudine canonici vehementer perculsi et contra hoc malum, tantum, tam subitum et insperatum, quid novum agere possent solliciti, corpora protinus sanctorum, et crucifixum terrae deponentes, super ipsum beatissimi confessoris Martini sepulcrum, et circa corpora sanctorum et crucifixum, spinas adposuerunt. Portae insuper ecclesiae, die ac nocte continuo clausae, castrensibus etiam non introeuntibus, solis peregrinis patuere. Consul itaque non multum post facti sui poenitens, et misericordiam quaerens, sponte sua in claustrum et in domum Secardi magistri scholarum venit, ibique discalceatus, nudis pedibus, et quidam cum eo sui proceres in ecclesiam humiliter perrexerunt. Primum ante beati Martini sepulcrum, dato pignore, consul Deo et beato Martino per manum Rainaldi Andegavensis episcopi, et Hispaniae Occensis episcopi, promisit se nihil amplius tale quid facturum: deinde ante corpora sanctorum, ad ultimum ante crucifixum salisfactionem fecit.

Mabillon, Annales O. S. B. Tom. IV Lib II 108 n. 47.

20.

c. 1008. *Fulbertus Carnotensis*[1] *ad ep. Aureliae (Orléans).*

Fratri et Coëpiscopo suo F. Fulbertus. Quod ad praesens vestrum placitum non adeo, de malitia huius temporis ortae difficultates obsistunt, vobis exponendae per otium. Sed quod praesens dicerem, per hos apices significare curavi. Defensores legum paucos, impugnatores vero plures esse videtis. Quin etiam dominus noster Rex, cui summum iustitiae caput incum-

---

[1] Fulbertus, natus 960, Remis discipulus Gerberti fuit, deinde ut studio medicinae vacaret Carnotum venit, ubi brevi magister et cancellarius nominatus, 1004 diaconus et canonicus factus, 1006 propter amicitiam cum Roberto rege episcopus Carnotensis electus est, obiit 1028. Cf. *A. Clerval,* Dict. de Théol. Cathol. VI 964; *I. Geiselmann,* Lexikon f. Theol. u. K. IV (1932) 224; *Ueberweg* II 185.

bit, perfidia malorum sic circunventus est, ut ad praesens neque nos, ut oportet, adiuvare praevalet. Non haec idcirco dixerim, ut fortitudinem animi vestri frangere velim; sed ut sana discretione causam vestram tractare memineritis. Igitur si Abbas S. Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognoverit, et illam deinceps subiectionem promiserit, quae vobis canonice debetur hortor et suadeo, ut recipiatis: sacramenta vero et cetera, quae ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis Domini missa faciatis; ut religionem magis quam saecularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si Abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque subiectionem canonicam vobis derogare contendat superbiae, cui non parcit Deus, Dei servus quomodo parcat nescio. Valete.

Bouquet X 448 ep. 7; PL 141, 208 ep. 17.

21.

1008. *Epist. Fulberti Carnot. ad quosdam dioecesanos.*

Fulbertus Dei gratia Episcopus [Carnotensis], Guntario, Huberto Vicecomiti, Rogerio, Bucardo, Hugoni filio Hugonis, Ottredo, Hamelino, Hugoni filio Herbrandi, et uxori Guismandi; et omnibus illis qui tenent casamentum sanctae Mariae Carnotensis Ecclesiae per donum Reginaldi Episcopi. Voco vos et admoneo ex parte Dei et sanctae Mariae et nostra, ut infra proximum Pascha veniatis ad nos, aut nostrum servitium facere, aut de vestris casamentis legitimam rationem reddere. Quod si non feceritis, excommunicabo vos propter contumeliam vestram, et interdicam ut non audiatis divinum officium, nec vivi recipiatis communionem, neque mortui sepulturam. Quin etiam castellum Vindocinium et territorium eius anathematizabo, ut in eis divinum officium non celebretur, neque mortuus sepeliatur. Postea vero ipsa casamenta quae tenetis, aut uni aut pluribus dabo; ultra etiam vobiscum de illis non concordabo. Deus vos convertat, filii mei!

Bouquet X 447 ep. 6; PL 141, 206 ep. 10.

22.

1016. *Epistula Fulberti Carnot. ad Robertum Regem Francorum.*

Excellentissimo Regi et charo Domino suo Roberto, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus, cursum honesti continuum ad beatitudinis finem. Inter multas sollicitudines meas, cura tui, Domine, me non mediocriter afficit. Cum enim te prudenter agere accipio, laetor: sin autem, tristor et timeo. Audito igitur inter alia, quod proxima solemnitate Natalis Domini concilium habiturus sis cum Principibus Regni de pace componenda, gaudeo; sed audito quod in Aurelianis civitate videlicet incendio vastata, sacrilegiis profanata, et insuper excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror et paveo. Quanto enim dolore putas afficiendos esse Sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei et tuam ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint, ubi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi sacrosanctam Eucharistiam absolute percipere? Absit hoc a te, charissime Domine, ut tu in tanta solemnitate, aut divinis officiis careas, aut illicite vel indigne, te sciente, usurpari permittas. Quod ideo te praemonere curavi, ut vel illum locum facias reconciliari, aut ubi melius sit solemnitatem celebrare memineris. Velim autem suadere tibi, si possim, ne dimittas propter iram, quae iustitiam Dei non operatur, quin Episcopo tuo treugam des, polliceare iustitiam, insuper conductum praebeas, si velit, ad reconciliandas Ecclesias suas. Quod si detrectaverit, ipse in periculo, tu navigabis in portu.....

Bouquet X 454 ep. 21; PL 141, 213 ep. 27.

23.

Post a. 1019. *Fulbertus Carnot. ad Robertum Regem et Constantiam Reginam.*

Queritur de Gaufrido Vicecomite Castrodunensi.

... Quoniam autem placuit bonitati vestrae consulere nos super habitu nostro, scribimus vobis, multis nos ad praesens incommodis urgeri, quae nobis infert Gausfridus Vicecomes de Castro Dunensi. Refecit enim ante Natale Domini castellum de

Galardone, quod olim destruxistis. Et ecce tertia die post Epiphaniam Domini coepit fecere alterum castellum apud Isteras intra villas Sactae Mariae. Unde legatos nostros misimus ad filium vestrum Regem Hugonem et Odonem Comitem; incerti utrum illorum assensu tanta mala praesumpserit: aliter enim haec illum aggredi vix opinabile est. Sed si illi nos in tantis adversitatibus non adiuverint, ad vos post Deum respicimus, ut per vos ab huiusmodi oppressione liberemur. Dolemus autem vos ita nunc in aliis partibus occupatos, ut vestro succursu de praesenti respirare nequeamus. Quod si cito nobis a filio vestro subventum non fuerit, communi nostrorum consilio divinum Officium desiturum in toto Episcopatu nostro noveritis. Si Comes Odo apud vos est, monete illum ut subveniat nobis propter Deum et fidelitatem vestram. Valete.

Bouquet X 457 ep. 26; PL 141, 218 ep. 34.

24.

Post a. 1019. *Fulbertus Carnot. ad Robertum Regem.*

Implorat auxilium regis contra iniurias sibi a Gaufrido vicecomite illatas.

Nunc quoque de iisdem malis necessario scribentes, conquerimur apud misericordiam vestram, consilium et auxilium petentes ab ea; quoniam a filio vestro Hugone super haec mala nihil opis vel consolationis accepimus. Pro quibus tacti dolore cordis intrinsecus, iam in tantum moerorem nostrum prodidimus, ut signa nostra iocunditatem et laetitiam significare solita, ab intonando desinere, et tristitiam nostram attestari quodam modo iusserimus, Officiumque divinum hactenus in Ecclesia nostra per Dei gratiam cum magna cordis et oris iubilatione celebrari solitum, depressis modo miserabiliter vocibus, et pene silentio proximis, fieri. Unde pietatem vestram cum fletu cordis et mentis, genua flexi precamur, succurrite sanctae Dei Genitricis Ecclesiae, cui nos fideles vestros, quantum possumus, licet indignos, praeesse voluistis: quorum a vobis solummodo post Deum, in his quae ingeruntur molestiis, consolatio et respiratio funditus pendet. Cogitate ergo qualiter ab his liberemur, et ut moerorem nostrum convertatis in gaudium, obsecrando Comitem

Odqnem, et ei vestra regali auctoritate vivaciter imperando, ut praedictas diabolici instinctus machinas vero animo destrui iubeat, vel ipse destruat, propter Deum, et fidelitatem vestram, et sanctae Mariae honorem, et nostri adhuc sui fidelis amorem. Quod si nec per vos, nec per illum irrita fuerit haec quasi perpetua nostri loci confusio, quid restat aliud, nisi ut penitus interdicamus agi divinum officium in toto Episcopatu nostro; ipsi inde, heu! inviti, et maxima necessitate coacti, aliquo exulantes, nec oculis nostris videre diutius sanctae Dei Ecclesiae conculcationem ferentes? Quod ne facere cogamur, vestram misericordiam iterum iterumque flebiliter oramus; ne et illud, quod absit, apud extraneum Regem vel Imperatorem fateri compellamur a vobis exsules, noluisse vos, vel non valuisse, sponsam Christi sanctam Ecclesiam nobis regere commissam tueri.

Bouquet X 357 ep. 24; PL 141, 215 ep. 30.

25.

1025. *Epistola Fulberti Carnot. ad Richardum S. Medardi abbatem Suessionemsem. Ipsum corripit, quod ecclesiam S. Medardi, quam ejus domestici cruenta caede violaverant, ipse abbas reconciliare, et in ea celebrare ausus esset.*

Quandiu de vobis, quae de bonis et sapientibus viris, audivimus gaudentes Domino gratias agebamus. At nunc sinistro rumore laesi, vestrum periculum formidamus. Dicuntur enim vestri domestici atrium et Ecclesiam B. Medardi cruenta caede violasse. Dicitur de vobis quod in eadem violata Ecclesia, sine Episcopali reconciliatione, Deo sacrificare praesumitis. Quod si verum est, profecto praesumptio ista et nova est et nimia, et bonis omnibus insectanda. Quid enim mali est, quod in sancta Ecclesia machinari incipitis? Vultis dare partes laicorum Presbyteris, Presbyterorum laicis? Ubi vobis conceditur Ecclesiam aut novam dedicare, aut profanatam reconciliare? Sed nec Oratorii quidem domum vobis aedificare, nisi per Episcopum licet. Positi namque estis omnino sub potestate ipsius... Nunc vobis charitative volo suadere, ut sano consilio praebeatis assensum; ad subiectionem Episcopi vestri simpliciter redeatis: de praeter-

ita culpa veniam requiratis; de futura assumatis cautelam, ut et vobis fiat quies de obedientia, et nobis de vestra quiete laetitia. Alioquin pro certo sciatis, quia si, quod absit, in contumacia contra illum manseritis, in proximo Conventu Episcoporum grave dispendium incurretis. Valete.

Bouquet X 474; PL 141, 244 ep. 91.

26.

1021. *Ademarus Cabanensis Historiarum Libri III.*

Lib. III 57. Archiepiscopus vero Bituricensis Gauzlenus, ad cujus diocesim Lemovica pertinet, [quia pecuniam requirebat pro impositione manuum, contemptus est et] quia sine sua auctoritate (Iordanus) consecratus est episcopus (Lemovicinus), [facta sinodo in Francia coram rege Rotberto, ubi septem archiepiscopi adfuerunt die Pentecostes cum suffraganeis episcopis] totum Lemovicinum excommunicavit, praeter locum sancti Marcialis et quae proprie ad eum pertinebant, ipsumque prohibuit ab officio suo episcopum. Qui [cum racionem reddere posset et sese purgare a culpa, si vellet, coram papa Romano, scilicet contempsisse archiepiscopum proprium causa Simoniaca, tamen] satisfaciens, nudis pedibus, cum centum clericis et monachis, omnibus similiter pedibus nudis, Bituricam sedem adiit, ubi archiepiscopus cum clero eis processit obviam, et cum honore eos deducens, quod ligaverat absolvit.

MGH Script. IV 143; PL 141, 70 s.

27.

1027. *Epist. Willelmi Abbatis S. Benigni Divion. ad Odilonem Abbatem Cluniac.*

... Praeterea innotescimus praternitati tuae, quod monasterium Viziliazense, agente Landrico Comite, Monachis ejusdem loci com Abbate turpiter eiectis, domnus Oddo suscepit sine consulto Episcopi Augustodunensis. Hac de causa in tanta ira contra vos et nos locumque nostrum concitatus est, ut non solum mala quae per se suosque poterit, minatur nobis irrogare, Mo-

nasterium videlicet Magabrense auferendo, et omnia altaria quae in suo Episcopatu habemus, excommunicando; sed et omnes quotquot potest Episcopos, Clericos, laicos cuiuscumque ordinis aut dignitatis in nostras inimicitias commovendo. Excommunicavit etiam nostrae Congregationis Fratres, ut nullus iam dicto loco inhabitet, Ecclesiamque ingrediatur, vel aliquod divinum obsequium in ea celebrare praesumat. Ipsi vero fidentes apostolicis Privilegiis, quibus libertas eiusdem loci ab antecessoribus provisa est, pro nihilo eius sententiam computaverunt, et nihil de interdictis dimittere curaverunt; sed litteras hac de causa ab eo directas, despectui habentes in terram pedibus conculcandas proiecerunt...

Bouquet X 505.

28.

1028. *Willelmus Gemmeticensis*[1]. *Gesta Normannorum ducum. De contentione inter Robertum Norm. ducem el Robertum archiepiscopum Rothomagensem orta narrat*:

Lib. VI c. 3. Unde (Robertus dux) in primordiis suorum actuum suspectum habens Robertum archipraesulem, hostili obsidione Ebroicam giravit urbem: ejus igitur efferos impetus archipraesul cupiens declinare, intra urbis moenia cum militari manu obstruxit se. Novissime vero datis dextris ab ea secedendi, Robertum regem Francorum cum suis exul adiit, et Normanniam Pontificali anathemate percussit. Robertus ergo dux recompensata improborum astutia, et perpendens se inconsulte egisse omnia, Archiepiscopum a Francia revocavit, et in pristinum honorem restituit. Postea mali poenitens facti, suis, ut tantum virum decebat, ascivit consiliis, in reliquum illi persistens fidelis.

Bouquet X 191; PL 149, 835; novam editionem paravit *I. Marx*, Guillaume de Iumièges, Gesta Normannorum ducum. (Rouen et Paris 1914) Société d'hist. de Normandie.

---

[1] Willelmus, cogn. Calculus, saec. XI in monasterio Gemmeticensi (Iumièges) in Normannia vixit. In Historia ducum Norm. quam fortasse rogante Willelmo Conquestore scripsit, eventus usquc ad a. 1070 narrat. Affirmat se ea, quae in libro V et sequentibus referuntur, ipsum vidisse vel a testibus immediatis percepisse. Cf. *Manitius* III 440.

29.

Post 1033. *Ex cartulario monasterii S. Petri Carnotensis (Saint-Père de Chartres). Paulus monachus in prologo ad cartularium de Rodberto episcopo Carnotensi refert:*

XI. ... annotare curavi: Rodbertum Turonensem qui, ob quendam Majoris Monasterii (Marmoutiess) monachum, Berengarii sectam sequentem, ut a veris relatoribus audivimus, quem in abbatiae suggestu obtrudere non valuit, nobis acriter renitentibus ac viva voce refutantibus, apostolorum sacrosanctum altare, contra legem canonicam celebratione misterii corporis et sanguinis Christi tribus mensibus et eo amplius carere fecit; monachos quoque auxilium Dei et matris ejus exorantes longe fieri ab eo, minarum spirans palam omnibus prophano ore contestatus, contradicente aecclesiae Romanae legato, pariterque divinum officium eis interdixit ac publice in principali aecclesia excommunicare ausus fuit.

M. Guérard, Cart. de Saint-Père de Chartres, I (1840) 15; PL 155, 193; cf. quoque prolegomena ed. M. Guérard.

30.

1045. *Privilegium ecclesiae S. Michaelis Fluvianensis.*

A. 1045 die 26. Iulii consecrata est Ecclesia S. Michaelis Fluvianensis in comitatu Emporitano per manus Guifredi archiepiscopi Narbonensis assistentibus octo aliis episcopis. Acta consecrationis in archivo Cuseanensis monasterii inventa sunt. In consecratione ecclesia magnis privilegiis dotata est, quae postea Giraldus episcopus Ostiensis et Apostolicae Sedis Legatus confirmavit. Inter alia statutum est:

Concedimus etiam ut ille locus omni poenitenti sit pervius, et cuicumque aliarum Ecclesiarum ingressus negatur, hic ob vota orationis solvenda et divina mysteria audienda libere ingredi permittatur.

Mansi XIX 613.

31.

1047. *Febr. 3. Chronica mon. Casinensis, auctore Leone Marsicano (scripsit ab a. 1098).*

Lib. II c. 78. Inde (scil. Capua) Beneventum contendens (Heinricus imperator), cum noluissent eum cives recipere, a Romano pontifice (Clemens II), qui cum illo tunc erat, civitatem eandem excommunicari fecit; cunctamque Beneventanam terram Normannis arctoritate sua confirmans, ultra montes reversus est, Gregorium expontificem secum asportans.

ed *Wattenbach*, MGH Script. VII 683.

32.

1056-78. *Liber Landaviensis (Llandaff, Anglia).*

Familia Catgucauni (Cadwgan) Regis Morcannuc (Glamorgan), Filii Mourici (Meurig), in die Nativitatis Domini, visitavit Landaviam bono affectu,... et ditatus prae nimio gaudio tantae festivitatis, cepit baccare copia potationis, sequestrata discretione sobrietatis; in tantum quod imperfecti viri, amissa vi scientiae et pietatis, devastaverunt unum familiarem et nepotem Hergualdi (Herwald) Episcopi, Berthutis nomine, virum justum et medicum totius patriae. Et facta tam execrabili invasione, et sub ala Sanctorum Dubrici, Teliavi, Oudocei, et asilo, misit Episcopus legatos suos per omnes ecclesias totius suae dioceseos obtemperantes sibi intra hostium Taratir super ripam Gui et ripam Tyui, ut simul convenirent clerici majoris dignitatis electi tam quam inferioris apud Landaviam; et in plena sinodo, depositis crucibus cum sanctis reliquiis ad terram, et versis cimbalis, simul et clauso hostio ecclesiae cum stipatis spinis, et ita carentis servitio et pastore, remansit diebus et noctibus; facto anathemate familiae Regis et sequestratae a tota ortodoxe fidei sorte. Et audita tanta submotione et dilatata per patriam magno strepitu et murmure, cepit Rex lacrimari pro dampnatione familiae suae, desiderans potius pacem cum suo pastore, quam participationem perpetratae injuriae. Advocatis omnibus comiti-

bus suis, requisivit veniam apud Landavium lacrimabili devotione simul et familia segregata a Christianorum consortio; et audita ejus prece, et data sibi venia simul et familia juncta cum penitentia canonica...

Haddan - Stubbs I 295 s; Mansi XIX 845.

33.

1077. *Sancius, Aragonensium et Pampilonensium rex (Sancho Ramírez), monasterio Sancti Iohannis (San Iuan de la Peña) privilegium exemptionis a jurisdictione episcoporum denuo ab Alexandro II procurat.*

...monachis sub regula Beati Benedicti ibi Deo militantibus libertates et privilegia et decreta, que habet Cluniacense monasterium, de cujus sanctissimo fonte hic Ordo Beati Benedicti emanavit ibi, et confirmo eis quemadmodum confirmaverunt patres mei, ut, sicut Cluniacenses sunt liberi ab omni jugo humane servitutis, ita et illi sint, debitam tantum modo servantes reverentiam Apostolice Sedi, ut liberi et expediti valeant exorare misericordiam Dei.

Colección de documentos para el estudio de la Historia de Aragon. Tomo III. Documentos correspondientes al reinado de Sancho Ramirez (Zaragoza 1907) 33; cf. p. 45 et 148. — Inter privilegia Cluniacensis monasterii continetur immunitas ab interdicto.

34.

1079. *Vita S. Stanislai episcopi Cracoviensis, auctore Ioanne Longino seu Dlugosz, Canonico Cracoviensi (1465).*

Lib. I c. XII. Deinde [Gregorius VII] Gneznensi Archiepiscopo Petro et universis Ecclesiae Poloniae Episcopis dedit in mandatis, quatenus in execrationem et poenam patrati per Regem et Milites parricidii, interdictum per universam Gneznensem observarent provinciam: et tam Rex Boleslaus quam Milites sceleris participes et conscii, diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis publice et solenniter nominatim et expresse denuntiarentur interdicti et anathematizati: universum

quoque Regnum Poloniae interdicto subiectum generali: sic quod praeter baptisma parvulorum et poenitentias morientium, nullum in ecclesiis et parrochiis provinciae Gneznensis Ecclesiasticum aut divinum officium celebraretur nec decedentium corpora traderentur sepulturae. A Rege quoque Boleslao et militibus occisoribus, sed et a familiis eorum, nihil reciperetur in oblationem, nihil in eleemosynam admitteretur, nec illis aliquod impenderetur Sacramentum, praeter baptisma puerorum et poenitentiam laborantibus in extremis. Eamdem quoque districtionem in singulis locis, ad quae extra provinciam Gneznensem Rex et occisores ceteri et conscii devenirent, mandabat quamdiu illic praesentes morarentur observari.

Bollandus, Acta Sanctorum, Maji Tom. II 233 s.

Nota. De hoc interdicto quaedam annotare juvat. Hodierni quoque scriptores de eo tamquam de facto indubitato loquuntur, v. g. *E. Voosen*, Papauté et pouvoir civil à l'époque de Grégoire VII (1927) 258: «Plus tard, il déposa Boleslaus II de Pologne, après l'avoir frappé d'excommunication». Sine indicatione fontis! Similiter *A. Haas*, Das Interdikt (1929) 5, hoc interdictum refert sine indicatione fontis. *H. Dix*, Das Interdikt im ostelb. Deutschland (Diss. Marburg 1913) in tabula interdictorum saltem fontem aliquem (Damalevicium s. XVII) indicat. *F. Kober*, auctor primarius de historia interdicti (Archiv f. KR 21, 38) *S. Bellarminum* tamquam fontem allegat, qui in: Risposta al Trattato dei sette Theologi di Venezia, Prop. VII dicit: «In Polonia durò al tempo di Papa Gregorio VII l'interdetto tre anni, e sempre fu osservato con pazienza». Cf. Opera omnia (Paris 1857) VIII 9. S. Bellarminus probabiliter hanc notitiam ex *Baronii Annalibus* eccl. hausit, cf. Tom. XII (ed. nov. Aug. Vind. 1740) 629. Et Baronius quidem Vitam S. Stanislai, episcopi Cracoviensis, auctore *Iohanne Longino Dluglosz*, canonico Cracov. (ob. 1480) allegat.

Quid vero fontes antiquiores dicunt?

Fontes contemporanei de interdicto silent. Habetur quidem epistola Gregorii VII (d. 20. Apr. 1075) ad Boleslaum II ducem Poloniae de ordinanda ecclesiastica administratione Poloniae et de missione legatorum, in qua Boleslaus propter suam erga S. Petrum fidelitatem multum laudatur. Cf. *Gregor. VII Registrum* II 73 p. 233. Sed nihil de a. 1079. Neque alii fontes illius aetatis aliquid de excommunicatione regis et interdicto Poloniae continent. Id quod mirum est, nam de aliis controversiis Gregorii cum regibus Ludovico v. g. et Henrico auctores contemporanei fuse loquuntur.

A. Brevi indicamus fontes qui mortem quidem S. Stanislai commemorant, de interdicto autem silent:

De variis Vitis *S. Stanislai* cf. MGH Script. XIX 501 ss.

Annales Poloniae, vide Script. rer. Germ. in us. schol. ed. nr. 11: 1. *Ann. Cracov. vetusti* (usque ad a. 1136) p. 2; 2. *Ann. Kamenzenses* (— 1165) p. 7; 3. *Ann. capituli Crac.* (— 1331) p. 17; 4. *Ann. Polonorum* (— 1325) p. 51; 5. *Ann. Crac. breves* (— 1283) p. 90; 6. *Ann. Mechovienses* (— 1434) p. 95.

Scriptores Silesicarum rerum aliquot, ed. de Sommersberg, 3 vol. (Lips. 1729-32), Tom. I, *Ioh. Chron. Pol.* p. 5; *Chron. princ. Pol.* p. 22; *Sig. Rositzii Chron.* p. 64. — *Script. rerum Siles.* ed G. A. Stenzel (Breslau 1835) Tom. I 11, 60. — *Vetera Mon. Pol.* et Lith. ed. Theiner (Romae 1860) Tom. I 53, 64, 65, 68, 69, Bulla canoniz. S. Stan. (d. 17. Sept. 1253) aliaque documenta Rom. — Tales fontes qui silent de interdicto ex Mon. Pol. hist. facile augeri possunt.

B. Fontes qui de interdicto loquuntur:

Mon. Pol. hist. Tom. III (1878), 1. *Rocznik swietokrzyski* (c. 1490), cujus chronicae X variae codices adsunt. Codd. I-VIII ad a. 1079 necem S. Stan. narrant, sequitur: « A. D. ut supra interdictum ecclesiasticum servatum fuit per totam provinciam Gneznensem, et per totum regnum Poloniae. Postmodum cum magna difficultate apud summum pontificem in Romana curia nobiles terrae et nuncii ipsorum relaxacionem interdicti impetraverunt ». l. c. 66; Cod. X. de interdicto silet. — 2. V *Catalogi episcoporum Cracoviensium.* Catal. I et II (— 1270) de interdicto silent, p. 328; similiter Cat III (— 1185), solum narrat: « Post cujus (S. Stan.) mortem sedes episcopalis vacavit quatuor annis ». p. 344; Cat. IV (— 1460): « Post cujus mortem in toto regno Polonie interdictum fuit et annis quatuor sedes Crac. vacavit » p. 344; Cat. V (— 1453): « Post hujus mortem in toto regno Polonie annis quatuor interdictum fuit observatum et hiisdem etiam quattuor annis vacavit sedes Cracov. » p. 343. — 3. *Catalogi archiepiscoporum Gneznensium.* Cat. I de Petro arch. contemporaneo S. Stan. tantum dicit: « Petrus VIII moritur XIX. Aug. » p. 392; Cat. II (saec. XVI ?): « Petrus, e praeposito in archiepiscopum electus, pusillanimitate postposita, regem occisorem S. Stanislai censuris interdicti praecelluit (sic), praefuit cathedrae annis 24, est mortuus a. 1076 (sic) ». p. 406. Cf. quoque: *Series archiep. Gnesn.* Stephani Damalevicii (Varsaviae 1649) p. 81.

Praeterea *Ioh. Longinus Dluglosz* (1415-1480) cujus Vita S. Stan. supra allegata est, in: Episc... Wratisl. eccl. hist. et acta, scribit: « Eo tempore b. Stanislaus martyrio feliciter occubuit, ob cujus mortem interdictum ecclesiasticum a Petro Gnesnensi arch. in universa Polonicae Ecclesiae provincia, quam primum fuerat a Boleslao Poloniae rege con-

summatus martyrio, positum, scrupulose studuit conservare». Cf. *Script. Sil. rer.* II 161.

Ergo primi fontes qui de interdicto loquuntur, e saec. XV esse videntur, quare haec quaestio accuratiorem adhuc indagationem postulat, unde illi suam scientiam hauserint. Cf. praeterea: *Paczkowski,* Die Angelegenkeit des hl. Stanislaw, Z. f. osteurop. Geschichte I (1911) 125; *Missalek,* Bischof Stanislaw v. Krakau, ibid. IV (1914) 404; *Car. Völker,* Kirchengeschichte Polens (1930) 30 s.

35.

c. 1079. *Willelmus episcopus Tolonensis (Toulon) monasterio S. Victoris Massiliensis ecclesiam S. Mariae tradit.*

Ego W. gratia Dei Tolonensis episcopus, nostris assentientibus canonicis, concedimus atque donamus ecclesiam S. Marie et ceteras ecclesias que sunt in castro de Petrafoc (Pierrefeu), cum omnibus que ad ipsam ecclesiam pertinent, parrochiam videlicet ipsius castri, et quecumque ad ipsam parrochiam pertinent, Domino Deo et sancte Marie sanctoque Victori glorioso martiri, et domno abbati Ricardo, et successoribus suis futuris, et presenti congregationi et future; salva in omnibus nostra subjectione et nostre sedis, atque canonicis, nostrisque successoribus atque futuris canonicis; scilicet, ut si excommunicatio in ipso castro secundum rationem facta fuerit, per omnia obediant atque teneant...

Gallia Christ. Novissima V (1911) 37 nr. 62.

36.

c. 1080. *Cartularium ecclesiae B. Mariae Paris. (Notre-Dame).*

De dependentia ecclesiae S. Martini de Campis a matre ecclesia B. Mariae Parisiensis statuitur:

Sacerdos qui parochie, preerit curam animarum ab episcopo et archidiacono suscipiet... Si mater ecclesia cessaverit, cessabit et ipsa.

M. Guérard, Cartulaire de Notre-Dame de Paris (1850) Tome II 401. — Ab Henrico I rege ecclesia St. Martini canonicis regularibus commissa

fuerat, Philippus I anno 1079 in eorum locum monachos Cluniacenses instituit; M. Guérard putat paulo post eorum vocationem a rege dependentiam ecclesiae St. Martini ab ecclesia B. Mariae in documento supra memorato statutam esse, quod propterea anno 1080 ascribi posset.

37.

1084. *Ademarus episcopus Engolismensis (Angoulême) monasterio S. Maxentii (St. Maixent). Foucaud de Chabannais monasterio S. Maxentii dimidiam partem bonorum ad ecclesiam de Vitrac pertinentium dederat, quod postea a filio ejus aliis donis auctum est. Ademarus episcopus haec omnia confirmat:*

... Insuper etiam, si contigerit aliquando ecclesiam propter aliquas exactiones interdici, vel ab officio divino cessare, jussit ipse episcopus ut parrochiani sua licencia eant ad ecclesiam novam sancti Stephani de Cogulet, donec ipsa ecclesia de Vitrac absoluta sit et divinum officium in ea celebretur. Sed si ipse episcopus interdixerit ecclesiae divinum officium propter injuriam aliquam sibi factam, obediat pastori sicut placuerit.

Archives histor. du Poitou XVI, Poitiers 1887. Chartes de l'abbaye de Saint-Maixent, p. 189 nr. 156.

38.

1090. *Ordericus Vitalis*[1]. *Hist. eccl. — Interdictum Cenomanense.*

Lib. VIII c. 11. Venerabilis autem Hoellus antistes, qui dono Guillelmi regis praesulatum habuit, ipsi filiisque ejus semper fidelis extitit, et in quantum potuit truculentam recalcitrationem dissuasit; pertinaces vero interdixit, pontificali jure anathematizavit; et a liminibus sanctae matris Ecclesiae sequestravit. Quapropter rebellionis incentores contra eum nimis irati sunt, et

[1] Ordericus, filius Odelerii, qui Willelmum Normannorum ducem ex Gallia in Angliam secutus erat, a. 1075 in Ettingesham in Anglia natus est. A patre suo 1089 monasterio S. Ebrulfi Uticensi (St. Evroult) traditur ibique postea monachus factus, 1107 sacerdotio initiatus, rogante abbate Rogerio historiam monasterii Uticensis scripsit, deinde historiam Ecclesiae ab evangeliis usque ad a. 1140. Cf. *Manitius* III 522.

injuriis eum afficere terribiliter comminati sunt. Interea dum per dioecesim suam cum clericis suis equitaret, et episcopali more officium suum sollerter exerceret, Helias de Flechia eum comprehendit et in carcere donec Hugo in urbe Cenomannica (Le Mans) susceptus fuisset, vinctum praesulem tenuit. Porro ecclesia dicti pontificis suae afflictioni condoluit, Dominique sanctas imagines cum crucibus, et sanctarum scrinia reliquiarum ad terram deposuit, et portas basilicarum spinis obturavit, et a clangore signorum, celebrique cantu, solitisque sollemniis, ut vidua moerens, cessavit.

Ed. *Le Prevost*, Tom. III 329; PL. 188, 589.

39.

1095. *Ordericus Vitalis. Historia eccl. — Interdictum Sagiense.*

Lib. VIII c. 24. Sagiense (St.-Martin de Séez) quoque episcopium Rodbertus (Robert II de Bellême, dictus Talvas) contra jus et fas comprimebat, et Guillelmo Belesmensi avo ejus a Ricardo duce datum asserebat, et multis oppressionibus ac detrimentis ecclesiasticas possessiones valde aggravabat. Unde venerandus Serlo episcopus eum excommunicavit, et pontificali rigore totam terram ejus interdixit; ne divinum ibidem officium celebraretur, nec mortuorum corpora humarentur. Rodbertus autem, qui pro duritia jure Talavicius vocabatur, induratus ut Pharao, pontificalibus plagis sive unguentis non emolliebatur; sed ad omne nefas quotidie detestabiliter augmentabatur.

Ed. *Le Prevost*, Tom. III 422; PL 188, 630 = c. 23. De hoc interdicto in epistola 120. Ivonis Carnot. infra allegata sermo est.

40.

1094-1110. *Ordericus Vitalis. Hist. eccl. — Interdictum Philippi regis.*

Lib. VIII c. 20. Tempore igitur Urbani et Paschalis Romanorum Pontificum, (Philippus rex) fere XV annis interdictus fuit. Quo tempore nunquam diadema portavit, nec purpuram induit, neque solemnitatem aliquam regio more celebravit. In

quodcumque oppidum vel urbem Galliarum rex advenisset, mox ut a clero auditum fuisset, cessabat omnis clangor campanarum et generalis cantus clericorum. Luctus itaque publicus agebatur, et Dominicus cultus privatim exercebatur, quandiu transgressor princeps in eadem dioecesi commorabatur. Permissu tamen praesulum, quorum dominus erat, pro regali dignitate cappellanum suum habebat, a quo cum privata familia privatim missam audiebat.

Ed. *Le Prevost* Tom. III 389; PL 188, 617 = c. 19. — Philippus rex cum Bertrada in adulterio vixit. Propterea in concilio Autun, Oct. 16, 1094, per Hugonem archiep. Lugdunensem, legatum Rom. Pontificis, et iterum in concilio Clermont, Nov. 18-26, 1095, per Urbanum II personaliter excommunicati sunt; excommunicatio sublata est in concilio Nîmes, Iul. 1096, sed renovata in conc. Poitiers, Nov. 18, 1100. Tandem in conc. Paris, Dec. 2, 1110, post juramentum praestitum absolutio concessa est.

41.

c. 1095. *Ivo Carnot.*[1] *Roberto comiti Pontivensi.*

Ep. 120. Si injuste vobis a Sagiensi (Séez) episcopo divinum officium interdictum est, displicet mihi tam propter facientem quam propter patientem. Sed quia id non debeo facere proximo quod nollem ab eo pati, ne miremini si chrisma quod a nobis petitis ad praesens non accipiatis. Lex est enim ecclesiastica, ut qui interdicti vel excommunicati sunt ab una Ecclesia, non recipiantur ab alia. Nec est meum in absentem judicare, etiamsi

[1] Ivo, natus 1040, episcopatum Carnotensem ab a. 1090 usque ad mortem suam a. 1116 gubernavit. Tres collectiones canonum ei adscribuntur, Tripartita, Decretum, Panormia, quamquam non semper constans hac de re opinio fuit. Nunc critici generatim affirmant eas vel ab ipso Ivone vel saltem ipso inspirante ab ejus discipulis scriptas esse. Cf. *Bliemetzrieder*, Zu den Schriften Ivos von Chartres, in: S. d. Wiener Akad. d. W. 162, 1917; *Fournier* II 55-115; *Manitius* 96 s., qui auctores amplam quoque de Ivone bibliographiam indicant. Collectiones Ivonis sicut et praecedentes, v. g. Cardinalis Deusdedit et Burchardi Wormatiensis de interdicto prorsus silent. De hoc silentio ejusque causa inquisitiones scientificae nondum factae sunt.

pensem utrum juste an injuste vester pastor vos obligaverit, cum hoc tantum observare debeam, ut in alienam messem falcem non mittam. Libenter autem tantis malis remedium quaererem, si Deus mihi daret opportunitatem. Vale.

PL 162, 134. De interdicto Sagiense *Ordericus Vitalis* in sua Hist. eccl. Lib. VIII c. 24 loquitur; textum vide supra nr. 39.

42.

Ante 1096. *Ivo Carnot. Richerio archiepiscopo Senonensi* (*Sens*).

Ep. 50. Ad ultimum rogo paternitatem vestram, ut secundum institutionem pacis quae a domno papa omnibus Gallicanis ecclesiis indicta est, de parochianis vestris Stampensibus, videlicet Ursione filio Theodonis et complicibus ejus, justitiam faciatis; qui episcopatus nostri partem episcopatui vestro contiguam omnino devastant, et pacem quam habet reliqua pars episcopatus sine causa perturbant. Praecipite itaque Stampensi archipresbytero, ut eos vel ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis et locis in quibus morantur divinum officium interdicat secundum consuetudinem pacis. Valete, et quod vobis placet per praesentium portitorem mihi remandate.

PL. 162, 62.

43.

c. 1896. *Ivo Carnot. Sanctioni episcopo Aurelianensi* (*Orléans*).

Ep. 62. De clericis autem vel monachis Puteacensibus, qui contra interdictum vestrum missas celebraverunt, mortuos sepelierunt, chrisma aliunde acceperunt, hoc vobis respondeo et consulo, ut si gratiam Lugdunensis archiepiscopi pleniter habetis, cujus consensu interdictum vestrum praedicti Puteacenses cassatum fuisse dicunt, plenam secundum rigorem canonicum super ejusmodi trangressores vindictam exerceatis, ut et istos et alios ab hujusmodi inobedientia compescatis.

PL. 162, 77.

44.

Post 1098. *Ivo Carnot. Daimberto archiepiscopo Senonensi.*

Ep. 76. De caetero Adeliciam Puteacensem dominam et Hugonem filium ejus cum caeteris adjutoribus suis propter tyrannidem quam in nos exercent, ex auctoritate apostolica a nobis excommunicatos precando insistimus, et insistendo precamur, ut vos quoque excommunicetis, aut male invasa nobis restitui faciatis. Sic enim antiquitus est institutum et nuper in Avernensi concilio omnium episcoporum qui aderant, consensu confirmatum, ut ab uno episcopo quemlibet pro injuriis ecclesiasticis excommunicatum, vicini quoque episcopi excommunicent. Quod si causatur injuste se excommunicatam, veniat ad Ecclesiam cui calumniam facit, et a qua nullam injuriam pertulit; audiet Deo juvante justam se accepisse sententiam. Apostolica autem auctoritate a nobis eam esse excommunicatam, exemplar apostolicarum litterarum quod vobis transmisi, declarabit. Valete.

PL. 162, 97.

45.

Post 1098 *Ivo Carnot. Daimberto archiep. Senonensi.*

Ep. 111. Colloquium vestrum jam a multo tempore desiderans, speravi me posse paternitati vestrae loqui in conventu ad quem invitati eramus in civitate Vellavorum, et ore ad os clamorem facere de injuriis quas mihi et Ecclesiae mihi commissae infert Hugo Puteacensis, more suorum semper rependens mala pro bonis; quem nec pudor humanus, nec fidei quam mihi debet ut domino, detinet a rapinis, dum nulla nostra in eum praecesserit injuria, vel nulla ei a nobis sit denegata justitia. Quod ergo certa ratione tunc distulimus, nunc praesentibus litteris, flexis genibus cordis, postulamus, ut eum a nobis excommunicatum excommunicetis, et divinum officium Merarivillae et ejus adjacentiis interdicatis, et Aurelianensi episcopo, ut idem faciat apud Puteacum praecipiatis. Alioquin, si principes mundi plus timemus quam Deum, manifeste jam portae inferi praevalebunt...

PL 162, 129.

46.

Post 1100. *Ivo Carnot. Paschali II. summo Pontifici.*

Ep. 94. Quoniam divino adjutorio Carnotensis comes pravas consuetudines quas habuerant antecessores sui, et ipse in domibus et rebus Carnotensis episcopi defuncti vel depositi, multo meo labore et sumptu Ecclesiae dimisit, et parvitas mea super hoc, privilegium a sanctitate vestra promeruerit ad perficiendam ejusdem libertatis confirmationem, peto ab excellentia vestra mitti litteras clero Carnotensi continentes hanc sententiam, ut si forte aliqui Carnotensium comitum, vel ministrorum eorundem aliquando cupida temeritate et temeraria cupiditate libertatem a comite concessam infregerint, tamquam ecclesiastici juris sacrilegi pervasores ab ipso clero apostolica anctoritate excommunicentur, et Ecclesiae, tam civiles quam suburbanae usque ad satisfactionem claudantur. Non enim potest populus rapinis assuetus aliter a sua malitia coerceri, nisi summo rigore justitiae refrenetur, et terribili excommunicatione plectatur. Addatur etiam, ut si succedens episcopus illius sacrilegii patratores absque satisfactione absolverit, vel ambitione acquirendi episcopatus vel timore amittendi supportaverit, tamquam sacrilegii particeps, et episcopatus exutor adjudicetur. Tali enim obice poterit malitiae torrens a solito praecipitio retineri, intraque debitos limites coerceri. Nec indebitum est, si adversus nova morborum genera inveniuntur et apponuntur insolita medicamenta. Valete.

PL 162, 114. — Propter hanc epistolam saepius affirmatum est, usque ad aetatem Ivonis interdictum rem prorsus ignotam fuisse.

47.

Ivo Carnot. Adelae comitissae.

Ep. 121. Pro summa charitate qua diligo principatum vestrum, jam semel et secundo monui celsitudinem vestram, ut quod dictante ira suaderent vobis servientes vestri, non statim reciperetis, sed reditum vestrum ad nos, ad audiendam et cognoscendam veritatem rerum gestarum exspectaretis, quia parati erant et adhuc sunt omnes canonici beatae Mariae et exsequendum

per manum nostram et quod ratio dictaverit, et justitia exegerit. Cum itaque ad omnem justitiam exsequendam erga vos et erga vestros promptos se exhiberent, praecepto vestro, sicut dicunt, vestri servientes annonam Ecclesiae apud Castrumduni, et apud Bonamvallem violenter acceperunt, et vinum domni Hilduini cantoris in vico coriariorum saisierunt, plurima etiam indigna clericis et hominibus eorum intulerunt. Postulant itaque clerici summa instantia ut in civitate et per totum episcopatum divinum officium interdicam, donec sua recipiant, quae injuste et praepropere sibi esse ablata reclamant. Et quia justitiae deesse non possum, postulavi ab eis inducias, quas vix impetravi, donec ad vos nunc tertio mitterem, et ad corrigendum quod perperam factum est, excellentiam vestram commonefacerem. Moneo itaque et consulo, ut clericis sua restitui faciatis, ne tam praeclara Ecclesia in tam sanctis diebus divino privetur officio, et de vobis a transeuntibus, qualem non deceret publicetur opinio. In recuperabili enim re non est tam praeceps danda sententia nec malevolorum inordinate satienda saevitia. Moneo itaque et iterum moneo suadente charitate...

PL 162, 134.

48.

Ivo Carnot. Ludovico regi Francorum.

Ep. 264... De divino autem servitio, a qua mater Belvacensis (Beauvais) Ecclesia suspensa est (cf. ep. 266), consilium sanum mihi minime videtur, quia iste rigor alibi minime servandus est, nisi ubi culpa sacrilegii, vel violatae pacis aliter vindicari non potest.

PL 162, 269.

49.

Ivo Carnot. Cononi episcopo Praenestino et sedis ap. legato.

Ep. 266. Sicut visito praesentiam vestram per legatum et litteras, sic visitarem propria persona, nisi adhuc detineret me ex longa infirmitate contracta debilitas. In primis itaque suggero simpliciter incedenti vestrae sollicitudini, ut non credatis omni

spiritui. Suaesit enim Hugo filius Gervasii propter violatam pacem se esse iniuste excommunicatum, et terrae patris sui injuste divinum officium esse interdictum, quia dicit ea die qua vocatus erat ad justitiam, se a domino rege suo fuisse detentum. Quae excusatio adversus pacem violatam apud nos nullius momenti est, quia rex et princeps hanc licentiam dederunt militibus suis, ut absolutam fidelitatem jurarent paci et justitiis pacis infra septem dies, quibus moniti essent se venturos ad justitiam, nisi eos detineret aut proprii corporis invaletudo, aut propriae personae violenta detentio, nec rege excepto nec domino. Unde si praetaxatum Hugonem sine satisfactione absolverem, haberent me parochiani mei sicut ethnicum et publicanum, et ille cujus bona diripuit, usque ad novissimum quadrantem totum quod amisit a me repeteret, et de me et de meis quam gravius posset talionem exigeret...

PL 162, 270.

50.

1096. *Decretum Bosonis archiepiscopi Tarantasiensis (Tarantaise, Savoye). Unit ecclesiam St. Martin de Moutiers cum coenobio Cluniacensi Nantuensi (Nantua).*

Si archiepiscopus omni Archiepiscopatui suo divinum interdixerit officium, ipsi monachi in privatis diebus Missam pro defunctis cantabunt, in diebus autem festis sive Dominicis, eam quae ad diem pertinuerit, signumque non sonabunt, neque eam aliquis audiet nisi tantum familia eorum.

Mr. Besson, Mémoires p. l'hist. eccl. des dioc. de Génève, Tarantaise etc. (Nancy 1759) p. 348.

51.

c. 1097. *Cartarium Vindocinense (Vendôme). Gaufridus episcopus Andegavensis (Angers) ecclesiam Masiacensem (Marsac) interdicto supponit.*

Gaufridus Dei gratia Andegavensium (Angers) episcopus universis sanctae Dei ecclesiae fidelibus pacem et quietem. Omnium religiosorum devotionem latere nolumus, quod cum Domnus

papa Urbanus in concilio apud Turonem resideret, Radulfo vicecomiti interdicendo praecepit et praecipiendo interdixit, ne a dicta civitate recederet, donec monachis Vindocinensibus de querela quam contra eum habebant, de ecclesia scl. Maziacensi, satisfecisset. Nobis etiam auctoritate sua injunxit, quod si ille super hoc obedire contemneret, censura nostri officii eum ad justitiam compelleremus. Non multo post tempore domnus Amatus, qui in partibus illis S. R. E. legatione fungebatur, ex parte ejusdem Domini nostri papae et sua de eadem re querela nobis litteras transmisit, in quibus praedictam ecclesiam Maziacensem ipsemet excommunicavit, et ut ex nostra parte eam et ipsum vicecomitem Radulfum excommunicaremus praecipiens mandavit. Deinde in concilio apud Sanctonas (Saintes prope Bordeaux), quod de hoc per litteras suas nobis mandaverat, viva voce iterum praecepit. Nos quidem non censura justitiae, sed quasi intuitu misericordiae jam dicto Radulfo per unum annum et eo amplius inducias donavimus. Ecclesiam vero Maziacensem, quia eam apostolica auctoritate excommunicatam audivimus, absolvere nec potuimus nec debuimus, sed etiam ex nostra parte excommunicationem ipsam, prout nobis praeceptum fuerat, confirmavimus et confirmamus: ita ut abhinc non praesumat quis in ea divinum officium celebrare, vel ibi corpora sepelire, donec praedicti fratres Vindocinenses justitiam, quam dudum reclamavere, justo judicio consequantur: quod qui praesumserit, sicut praesumtuosum et Deo beatoque Petro contrarium, nisi resipuerit, perpetuo anathemate anathematizamus. Hoc etiam sub eodem anathemate prohibemus, ut decima ad ipsam ecclesiam pertinens saepedicto vicecomiti ulterius ab hominibus ibi morantibus non reddatur.

Martène et Durand, Thes. nov. Anecd. IV 123.

52.

1099. *Petrus archiepiscopus Aquensis (Aix-en-Povence) Ricardo abbati S. Victoris (Marseille). Tradit illi novam ecclesiam in Mallemort (Bouches-du-Rhone, arr. d'Arles).*

Concedo insuper huic cessioni hanc prerogativam libertatis, ut nunquam alicujus archiepiscopi prohibitioni vel excommunicationi innodata subjaceat, quin semper inibi divinum officium

celebretur et sepultura defunctis semper cum absolutione et benedictione patefiat et intraturos et audituros missarum sollempnia nullius persone interdictum prohibeat.

M. Guérard, Cart. de l'abbaye de St.-Victor, p. 336 s. nr 919.

53.

c. 1100. *Goffridus*[1] *Albas Vindocinensis* (*Vendôme*) *Ivoni Carnot.*

Paternitati vestrae, pater optime, gratias agimus, quod Comitem Vindocinensem pro causa nostra ad rationem mitti fecistis; et quia quod inique gesserat, corrigere neglexit, ejus castello, et castelli banleugae divinum officium abstulistis. Ipse vero malis addere pejora minatur; et vobis inoboediens, nos et nostra violenter adhuc persequitur. Sed quia ad hoc mandatum suscepimus, ut nos [non!] affectemus laudes hominum, nec eorum minas timeamus; divina nos protegente clementia, et vestrae auctoritatis suffragante censura, in pressuris constantiores inveniet. Unum tamen utile nobis, immo valde necessarium esset, pro quo vobis, tanquam patri filii, humiliter supplicamus, quatenus genus pietatis, quo pastor Ecclesiae cum necessitas exigit, impius pro Domino fieri debet; (genus enim pietatis est, ut B. Hieronymus dicit, impium fieri pro Domino) ita in Comitem, et in omnem terram ipsius zelus vestrae rectitudinis propagaret; totum videlicet ejus Comitatum a divinis officiis segregans; et ipsum districtioris justitiae vinculis alligans, ut universa plebs, quae nostram injuriam et ejus malitiam non ignorat, et cui illius iniquitas multum displicet, nec major justitia displiceret, hinc occasione accepta proclamaret in eum: et sic quoniam Dei amore ab injusta actione spontaneus non vult desistere, clamore simul et timore hominum desisteret vel invitus. Nam sub quanto

[1] Goffridus d. 21 Aug. 1093 abbas monasterii SS. Trinitatis Vindocinensis O.S.B., factus postea ob manifestum erga S. Sedem zelum ab Urbano II Cardinalis creatus est. Cum Paschalis II necessitate cogente Henrico V privilegium investiturae concessisset libello scripto eum vituperavit. Varios libellos, sermones, epistolas reliquit. Vide *Manitius* III 51; de epistolis et libellis eorumque chronologia disseruit *E. Sackur*, Neues Archiv 17 (1892) 329, 18 (1893) 666.

ejus malitiae onere gemimus, nostra humilitas non sileret, si referre singula morosum non esset, et audire taediosum. Et legati nostri lingua fortassis omnia melius dicet, quam nostra indicare posset epistola. Pauperum corpora sepeliri concessistis: quod nos abnuere nec possumus, nec audemus. Sed salva vestra pace, et reverentia dicimus, si insepulta remanerent pro Ecclesiae justitia, non ideo animae minus haberent de gloria. Et quia a sanctitate vestra pauperibus sepultura conceditur, sub nomine pauperum a sepultura jam nullus excluditur. Valete.

Iac. Sirmondi, Opera Omnia (Ven. 1728) III 456; PL 157, 83.

54.

c. 1100. *Goffridus Abbas Vindocinensis Ivoni Carnot.*

Noverit, carissime pater, vestra dilectio, in castro Vindocini, dictos illos regulares beati Georgii Canonicos, in ecclesia beati Petri apertis januis contra interdictum vestrum solemniter festivitatem celebrasse: aliosque ejusdem castelli clericos quendam burgensem defunctum, et cum defuncto justitiam quasi defunctam sepelientes, publicis processionibus sepulturae tradidisse. De qua Ecclesiasticae justitiae sepultura, quae contumaciae studio acta dinoscitur, et de hujusmodi sepulturae vindicta, vestrae sublimitati nostra humilitas aliquid scripsisset, si monachus unus sufficeret de inobedientia clericorum accusare multitudinem; et praesumptuosum non videretur, tantae discretionis docere pontificem. Illud tamen perpendat vestra dilectio; quod si tanta justitiae injuria patienter portatur, verendum est, ne sancta Ecclesiae hac occasione de statu suo plurimum perdat, et suae honestatis et ordinis intolerabilem jacturam patiatur. Unde vestrae paternitati filiali dilectione supplicamus, quatenus ad nos misso vestrae auctoritatis decreto, tam perniciosa praesumptio sine vindicta minime transeat: utquam grave sit suo Episcopo non obedire, vel sic unusquiusqe transgressor agnoscat. De domno Archidiacono, cujus virtutes vel vitia prudentiam vestram ignorare non credimus, vobis vera scribere non audemus; ne nostra veritas ejus odium nobis generaret, et qui male agit pejus ageret. Certe, si inordinata remissio pietas vel misericordia esset, circa delinquentes, sed impoenitentes, plurimum exhiberet; quibus etiam non

pulsantibus, ejus misericordiae janua patet. Nam quis ex divitibus contra interdictum vestrum vult sepeliri, et non sepelitur? Pauperibus autem, qui culpam non habent, sepultura negatur. Potentibus aperiuntur Ecclesiae: impotentes per quos quod male actum est, corrigi non potest, ab Ecclesiis excluduntur. Sancto Evangelio teste cognovimus, et nullatenus dubitamus, benignum Iesum Dominum nostrum B. Petro quae liganda erant ligandi, et quae solvenda solvendi potestatem tradidisse. Sed aliter quam Dominus dedit, vel B. Petrus ab illo acceperit, indiscrete gloriosus vester Archilevita, quasi propheta docens mendacium, solvenda ligat, et solvit liganda. Providete itaque, dilectissime pater, ne justitia vestra, quae ex parte jam perire coepit, omnino pereat: et quod veraciter vobis mandamus, nobis non noceat.

I. Sirmondi l. c. 458 ep. 17; PL 157, 85.

55.

1100. *Manasses episcopus Cameracensis (Cambrai) Lamberto Atrebatensi. Terra comitissae Montensis interdicenda est.*

Domino suo Lamberto, providentia Dei Atrebatensium (Arras) episcopo, Manasses, ejusdem misericordia Cameracensium pastor indignus, salutem et servitium. Si frater fratrem adjuvare voluerit, amborum consolatio multiplicabitur. Consolamini igitur, consolamini me, pater reverende; me, inquam, consolamini, quem Cameracensium maledicta progenies tam impudenter tradiderit, quam sine culpa, sine merito, Comitissa Montensis persequi non desistit. Itaque, cum Deus spiritualem gladium nobis solummodo reliquerit, illos spirituali gladio puniamus, quorum marinosis impulsi tempestatibus neque die neque hora quiescere possumus. Cum igitur dicat Apostolus, Alter alterius onera portate etc., pater sanctissime, portate onus meum, interdicite per terram praedictae Comitissae divinum officium: quae neque Deum offendere, neque Romanam sedem, neque Remensem ecclesiam, neque pastoralitatem vestram erubescit dedecorare. Unde me cum omnibus meis benevolis perpetuae servituti poteritis redigere. Valete, altariaque excommunicatorum meorum ab ipsorum immundis manibus eripite. Valete.

Bouquet XV 190.

56.

c. 1100. *Manasses archiepiscopus Remorum Lamberto Atrebatensium episcopo.*

Quia confratris nostri et coepiscopi Manasse (Cameracensis) preces non desinunt lacrymosae, neque nos desistimus, sed pro eo vos corde et ore interpellamus, precamur, commotique dolore fraternae desolationis caritative commonemus, ne sicuti jam vobis mandasse credimus terram Comitissae Montium interdicere differatis, sed ad honorem Dei quod vestri juris est sine dilatione plenarie peragatis. Praeterea vobis mandamus praecipue per obedientiam omnibus Abbatibus vestris, monachis et clericis, ne deinceps Cameracum intrent, nec ullo modo excommunicatis communicent, neque aliqua colloquia cum Gualchero habeant. Multoties namque mala colloquia bonos mores corrumpunt, et sicut nobis relatum est, potius incitant eum in malo perseverare quam revocent ab errore. Ergo istos corrigamus, ne coinquinentur ab injustis. Valete, illorumque altaria, qui Cameraci resident, firmiter nobis retinete. Valete.

Baluzius, Miscellanea II 145 ep. 58.

57.

1107. *Galo episcopus Parisiensis ejectis monialibus ecclesiam S. Eligii Parisiensis (Saint-Eloi) abbati monasterii Fossatensis O. S. B. (Saint-Maur-lès-Fossés) tradit.*

Illud etiam praeterire noluimus quia quotiens mater ecclesia a divino officio cessaverit, coenobium S. Eligii ex necessitate cessare et tacere oportebit.

PL 162, 728; Gallia Christ. VII, Instr. 42.

58.

1109. *Cartularium mon. S. Petri Carnot. (Saint-Père de Chartres). Monasterium ab Erchembaldo terram Lameri Villaris* « *non sine grandi pecunia* » *acquisiverat. Eo mortuo filii eius hanc terram invaserunt. Willelmus abbas refert:*

Nos autem Tampas euntes, clericis et baronibus ville injuriam quam nobis illi faciebant monstravimus, et quod villam excom-

municari faceremus, si eos ulterius retinerent vel eis ad hoc malefactum aliquod auxilium preberent, annunciavimus.

Guérard, Cart. de l'abbaye de Saint-Père de Chartres, I 419.

59.

1110. *Richardus Cardinalis Albanensis et legatus apostolicae Sedis, priori Abolonensi (Bollène, d. St.-Paul-Trois-Châteaux).*

Litteris quas nuper Tricastinensi episcopo, a Tolosano concilio direximus, te non obbedisse miramur. Aurasicensis enim episcopus super te conqueritur quum Abolenense monasterium Aurasicensi (Orange) ecclesie juri subpositum, solo impetu odii, et omnes ecclesias illi monasterio subditas ei abstulisti, et Tricastrinensi pontifici tradidisti. Quapropter Aurasicensis episcopus predictum monasterium et omnes illi pertinentes ecclesias interdixit, et Giraldum Garcinum et clericos obedientiam ejus transgredientes excommunicationi subposuit. Nos autem ecclesias quas interdixit, interdicimus et quos excommunicavit, excommunicamus. In prefato igitur monasterio vel ecclesiis illi pertinentibus, si forte, quod absit, ante emendationem, divinum officium celebrare presumpseris, ab introitu ecclesie, auctoritate apostolica et nostra sequestratum esse te scias.

Gallia Christiana Novissima IV (1909) 46 nr 54; *Duhamel,* Mém. de l'acad. de Vaucluse XV (1896) 388.

60.

1111. *Libelli de discordia inter monachos S. Remigii et S. Nicasii Remenses agitata tempore Paschalis II papae.*

In urbe Remensi inter duas abbatias Benedictin. S. Remigii et Nicasii graves controversiae de jurisdictione super castrum et burgum S. Remigii, quam utraque pars pro se postulabat, habebantur. Tandem Radulphus archiepiscopus Remensis Burgum Ioranno abbati S. Nicasii tradidit, id quod vehementem pugnam excitavit, immo habitantes burgi archiepiscopo oboedientiam denegaverunt et juraverunt se semper S. Remigio fideles mansuros esse. Qua de causa tota urbs excepto mon. S. Nicasii interdicto supposita est. De hac controversia duo libelli, alterum, ut videtur, a monacho S. Remigii, alterum a membro abbatiae

S. Nicasii, contemporaneis horum eventuum, confecti sunt, quos tandem a. 1931 *H. Meinert* in lucem edidit. Referimus partem ex primo libello, quae de interdicto egit:

c. 34. Archiepiscopus vero videns quod nec inducias juxta quod volebat obtineret, nec homines s. Remigii ad placitum suum Remis deduceret, sub interminatione omne divinum officium in ecclesia b. Remigii prohibuit et in totius villae parochiis haec similiter mandavit, nisi in sola ecclēsia s. Nicasii.

c. 35. Hoc mandato ab (Azenario) abbate suo in ecclesia b. Remigii delato ex consilio monachi responderunt archiepiscopum non juste erga se agere, quoniam nondum dies induciarum advenerat, quas ipse archiepiscopus abbatibus suae provinciae de judicio super abbatem suum faciendo antea donaverat. Amplius homines suos in quo debebant loco de omnibus, quae eos interrogaret, paratos placitare et derationari. Amplius ecclesiam suam a b. Leone IX papa consecratam et privilegio ejus tali libertate corroboratam, ut archiepiscopus in ea divinum officium sicut in ceteris ecclesiis prohibere non debeat; inconveniens esse, ut archiepiscopus cum sit sub apostolico, manum suam super eum possit extendere et super consecrationem et corroborationem ejus, sicut super alicujus archiepiscopi vel episcopi consecrationem manum suam praesertim absque justa causa et certissima ratione possit ponere[1]. Amplius domnum papam Paschalem adhuc superstitem ecclesiae b. Remigii privilegium composuisse, in quo inter cetera praecepta haec pracepisse sub anathematis interminatione, ut nullus hominum coenobium b. Remigii temere auderet perturbare; hanc [esse] temerariam perturbationem, quod inducias non expectabat, placitare de hominibus b. Remigii in quo debebat loco nolebat, divinum officium temerarie prohibebat, consecrationem b. Leonis papae et privilegium ejus nihili pendebat. His omnibus ostensis monachi s. Remigii rogaverunt archiepiscopum, ut si pro omnibus injustissimis causis ecclesiam suam in pace dimittere, ut solummodo divinum officium in ea celebraretur, nollet, saltem pro amore et reverentia et privilegio domni papae Paschalis adhuc superstitis, ne si forte resciret

[1] Vide infra notam ad c. 35.

contra eum irasceretur, humiliter precabantur, ut dimitteret, sed nihil profuit.

c. 36. Tunc monachi inito consilio, quoniam jam plenissime declaratum erat, quod a praeceptis et voluntate archiepiscopi abbas se movere non volebat nec poterat, ne de inobedientia argueretur, satis tristes obedierunt totumque divinum officium ita, quod nec in altari, quod b. Leo nonus papa benedixerat, missa celebraretur, dimiserunt. Iterum archiepiscopus mutata sententia mandavit eis, ut clam in silentio cantarent, campanas videlicet non pulsantes, ostia monasterii sui, ne aliquis de hominibus intraret, assidue claudentes. Ipsi autem responderunt janitores se non esse, servientes hoc debere facere; quibus cum abbas claudere praecepisset, ne aliquis hominum b. Remigii intraret, omnes pari consensu de ecclesia exierunt dicentes se etiam homines b. Remigii esse, sacramenta pro fidelitate ejusdem cum ceteris hominibus jurasse; ubi illi remanerent, se etiam velle remanere, et quo intrarent, velle intrare. Sed et omnes servientes totius curiae b. Remigii, coci, pistores, matricularii, servientes hospitii et elemosynae domusque infirmorum et horreorum usque ad centum haec dicentes abierunt et in maximo dolore et tristitia monachos dimiserunt. Homines autem castri et burgi juraverunt, quod si eis quasi excommunicatis ecclesia clauderetur, nec panem nec vinum, insuper nullum omnino victum vel vestimentum eis (scil. monachis) venderent, et si quis vendere vel dare vellet, non dimitterent. Haec omnia audiens archiepiscopus non curavit, nec sententiam suam mutare voluit, sicque nec ostia monasterii clausa sunt a servientibus, nec nos divinum officium celebravimus.

H. Meinert, Libelli de discordia inter monachos S. Remigii et S. Nicasii Remenses agitata, in: Festschrift f. Alb. Brackmann (1931) 283 s. — Controversia postea Romam delata est; de definitiva decisione libelli nihil continent. Cf. epist. Paschalis II d. 15. Apr. 1113, in qua pax inter monasteria S. Remigii et S. Nicasii de burgo confirmatur (IL 6352).

Nota ad c. 35. Immerito monachi S. Remigii invocantes suum privilegium archiepiscopum injustitiae arguunt. Ut *Mabillon* refert, Leo IX primis diebus Octobris 1049 Remis synodum celebravit, qua occasione d. 5. Oct. altare ecclesiae monasterii S. Remigii consecravit. Verba Leonis: « Deliberamus itaque et coram hac sancta synodo promulgamus, statuimus et confirmamus, ut haec ecclesia hoc privilegium nostrae auctori-

tatis supra ceteras Franciae ecclesias habeat, quatenus nulla ecclesiastici ordinis magna vel parva persona in hoc altari quod consecravimus, Missam celebrare praesumat, nisi Remorum archiepiscopus et hujus loci abbas... » (*Acta SS. O. S. B.* saec. VI 1, 637; IL 4177). De privilegio immunitatis ab interdicto episcopi nihil dicitur. Postea quidem Urbanus II ecclesiis quas ipse consecravit tale privilegium regulariter concessit, prima vice monasterio Celsiniacensi d. 7. Dec. 1095; textum vide infra in P. III.

Neque privilegia Paschalis II d. 29 Mai 1107 et d. 3. Ian. 1110 (IL 6149 et 6255) de interdicto loquuntur; nam formula generalis « ut nullus hominum coenobium temere audeat perturbare » privilegium exemptionis ab interdicto episcopi, quod semper expressis verbis concedi debet, nullatenus includunt.

61.

1117. *Episcopus Engolismensis ad Corisopitensem (Quimper-Corentin) episcopum.*

Gerardus Engolismensis episcopus ac sanctae Romanae ecclesiae legatus Roberto Corisopitensi venerabili episcopo salutem et benedictionem. Dilectioni vestrae mandamus quod si comes Conanus vestrae terrae in res Kemperelegiensis (Quimperlé) abbatis manus suas injicere praesumpserit, eum interdicatis, et totam terram ejus quae in episcopatu vestro est, divinis officiis privetis. Quod si tantum sacrilegium sine justitia, quod absit, sustinueritis, noveritis pro consensu vobis canonicam sententiam imminere.

Mabillon, Annales O. S. Ben. VI 631; cf. epistolam Conani comitis in sequenti numero et epistolas Paschalis II d. 30. Nov. 1117, in Parte III.

62.

1118. *Conanus comes de redditione Bellae insulae (Belle-Ile-en-Mer).*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, ego Conanus humilis Britanniae dux, cum sorore mea Hadeuguis, et matre mea Ermenjart, dono et concedo pro salute animae meae et parentum meorum monasterio quod Kemperelegii (Quimperlé) in honore sanctae Crucis constructum est, terram quae Bella-insula vocatur, cum omnibus reditibus suis, ut pater meus Alanus

fecit, et avus Hoël et atavus Alanus. Calumniam namque Rotonensium (Redon), quae in nostro tempore per cupiditatem et invidiam super hac terra orta est, et pro qua dominus Robertus Corisopitensis (Quimper) episcopus cum clero Cornubiae (Cornouailles), et Gurguandus Kemperelegiensis abbas cum monachis suis per annum et fere dimidium perstiterunt, falsam esse et omnino sopitam apostolica auctoritate et judicio novimus, ad quam Herveum Rotonensem abbatem, et Gurchandum Kemperelegiensem abbatem pro controversia quam super hac terra habebant, misimus. Nunc igitur praedictam insulam cum omnibus sibi pertinentibus, quam Herveus abbas per vim meae potestatis invaserat, pro qua invasione cum tota abbatia sua ultra spatium unius anni apostolica auctoritate juste interdictus atque excommunicatus fuerat, Kemperelegiensi monasterio et omnibus monachis ibidem manentibus in manibus Gurchandi ejusdem ecclesiae abbatis sine aliqua per me vel per meos posteros ulterius inquietudine in perpetuum reddo. Monachum etiam quem abbas Rotonensis de saepe-dicta insula secum adduxerat, de Rotonensi claustrum ad suum locum reddi feci. Quicumque autem Kemperelegiense monasterium pro hac re amplius inquietaverit, apostolica auctoritate percutietur et nostra consulari severitate quassabitur. Actum est hoc Rotoni (Redon) anno MC XVIII incarnati Verbi in praesentia domini Roberti Corisopitensis (Quimper) episcopi, et Marbodi Redonensis episcopi, et Briccii Nannetensis (Nantes) episcopi, et Morvani Venetensis (Vannes) episcopi. Testes vero...

Mabillon Annal. O.S.B. VI 634.

63.

1119, *initio Ian. Leodegarius, episcopus Vapincensis* (*Gap*), *monachis Cluniacensibus ecclesiam ablatam restituit.*

Ad recordationem firme memorie scribimus quod ego Leodegarius, Vapincensis episcopus, in presentia domni pape Gelasii secundi, altercationes quas cum Cluniacensibus monachis habueram, ita definivi. Terram quam eis abstuleram, quiete et sine calumpnia ulterius possidendam monachis reddo; oletam vero inter meam et eorum terram Vapincensis sacrista, cum aliis quos

ipse advocaverit, ponet. Ecclesiam quoque de Veheneto quam eis prius cum assensu capituli mei dederam, eisdem monachis restituo. Ut clerici plenarie eos inde revestiant, me bona fide et sine malo ingenio tractaturum, et deinceps monachis de illa ecclesia et de omnibus aliis rebus quas in episcopatu meo habent, salva justitia mea, me fidelissimum amicum fore promitto. Quod si clerici eos pacifice revestire noluerint, huic mee revestioni rebelles extiterint, eos et coadjutores eorum a liminibus sancte ecclesie sequestrabo, et ecclesiis eorum omne divinum officium interdicam, quod ante domnus papa fecerat et modo confirmat, et eis omnimodis inimicus ero. Post factam istam revestionem et satisfactionem domno papa, de contemptu, loco et termino quem domnus papa constituerit, clerici, si voluerint, causam suam agant.

Gallia Christiana Novissima I (1899) Instrum. 278 XII.

II. — Decreta synodorum

64.

683. *Conc. Toletanum XIII. (Toledo).*

c. VII. Vae his qui faciunt opus Domini fraudulenter et desidiose, propheticus sermo annuntiat (Ierem. 48, 10); et si illi vae incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt, quod supplicium merebuntur qui divinae servitutis cultum malitia intercedente ab altariis Christi subducunt? illos dicimus qui obstinatae mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia fraternorum iurgiorum pupugerit, insana illico temeritate abrepti altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacrificiorum cultum malitia intercedente subducunt, et quod in hominibus se vindicare non possunt, iniuriam Deo, quod peius est, inferunt. Unde si huiusmodi pro fraterno odio homicidae reatu adstringitur, pro contemptu divino quid poenae merebitur? etenim iuxta quod divinus sermo increpitat: si peccaverit vir in virum, placari ei potest deus; si quis autem peccaverit in deum, quis pro eo rogaturus est? facile ergo talium sacerdotum excessibus illa domini sententia coaptabitur, qua malitia percutitur sacerdotum. Dicit enim: Honorificantes me honorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quicumque ergo sacerdotum vel ministrorum deinceps causa cuiuslibet doloris vel amaritudinis permotus aut altare divinum vestibus sacratis exuere praesumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accinxerit, seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo dei subtraxerit vel extingui praeceperit aut quodcumque lugubritatis in templo dei induxerit, atque, quod peius est, occasionem nutrierit, unde de templis domini aut officia consueta

desint aut oblatio singularis sacrificii videatur in aliquo defraudari, si eum antea verae poenitudinis coram metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuae mancipatus iuxta superiorum sententiam domini et loci sui dignitate se noverit et honore privari; illis proculdubio personis ab hac ultionum sententia separatis, quae aut contaminationem sacrorum ordinum vel subversionem sanctae fidei metuentes aut hostilitatem vel obsidionem perferentes seu etiam divinorum iudiciorum sententiam metuentes talia fecisse contigerit, in quorum facto plus humilitas qua deus placetur quam interni laboris dolositas declaratur.

Bruns Herm. Th., Bibliotheca ecclesiastica (1839) Pars I Canones Apostolorum et Conciliorum, 341; *Mansi* XI 1096; Gratianus C. XXVI q. 5 c. 13.

65.

825. *Conc. Cloveshovense.*

a. 825 in Clovesho concilium praesidente Wulfredo archiepiscopo Cantuariensi et Beornolfo rege Merciorum et assistentibus duodecim episcopis suffraganeis multisque abbatibus, presbyteris, diaconis, ducibus, qui omnes actis subscripserunt, celebratum est. In hoc concilio principaliter de reconciliatione archiepiscopi cum novo rege actum est. Ceonulfus enim rex iam defunctus Wulfredum multis injuriis affecerat, plurimis eum possessionibus spoliaverat, per varias eum regiones persecutus, immo apud ipsum Romanum Pontificem eum calumniatus erat. Verba textus:

Hoc est vero quod [Wulfredus] in testimonio totius populi omni dominatione propria privatus est, vel in his liberis monasteriis aet Suthmynstre et aet Raeculfo omnibus rebus ac possessionibus quae ad illos pertinebant cum violentia ac rapacitate ejusdem praefatae Regis dispoliatus est. Nec ille solus Episcopus his aliisque rebus perplurimis inhonoratus fuisset, sed per eadem supradictas accusationes et discordias tota gens Anglorum VI. ferme annorum curricula sua primordiali auctoritate sacraeque baptismatis ministerio privata est.

Haddan-Stubbs III, 597; *Mansi* XIV 401.

Nota ad verba: tota gens Anglorum sacrae baptismatis ministerio privata est.

Quoad genuinitatem textus a criticis hucusque dubia non moventur. Aliqui auctores textum de interdicto a Wulfredo lato declarant, v. g. *Kober* l. c. p. 13; alii dubitant et quaerunt, an forte illa aetate solummodo episcopus sacramentum baptismatis administraverit, sic *Hefele* IV 36. Haec ultima quaestio facile solvi potest, quia plurima testimonia probant illis temporibus etiam in Britannia praeter episcopum presbyteros quoque et diaconos baptizasse. Aliqua referimus:

A. - Ex scriptis *Ven. Bedae* (ob. 735):

1. — a. 633. *Historia eccl.* II 20: Reliquerat autem [Paulinus] in ecclesia sua Eburacensi (York) Iacobum diaconum, virum utique ecclesiasticum et sanctum, qui multo exhinc tempore in ecclesia manens magnas antiquo hosti praedas docendo et baptizando eripuit; cujus nomine vicus, in quo maxime solebat habitare, juxta Cataractam, usque hodie cognominatur.

PL 105, 116; *Haddan-Stubbs* III 88.

2. — a. 653. *Hist. eccl.* III 22: Ubi cum omnia perambulantes multam Domino ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac pervenire ad ecclesiam Lindisfaronensem, propter conloquium Finani episcopi; qui ubi prosperatum ei opus evangelii comperit, fecit eum episcopum in gentem orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis. Qui, accepto gradu episcopatus, rediit ad provinciam, et majore auctoritate coeptum opus explens fecit per loca ecclesias, presbyteros et diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei et ministerio baptizandi adjuvarent, maxime in civitate, quae lingua Saxonum Ytancaestir (St. Peter's on the Wall) appellatur.

PL 95, 152; *Haddan-Stubbs* III 95.

3. — a. 734. Ex II. ep. V. Bedae ad Egbertum Eboracensem episcopum: Et quia latiora sunt spatia locorum, quae ad gubernacula tuae dioecesis pertinent, quam ut solus per omnia discurrere, et in singulis viculis atque agellis verbum Dei praedicare, etiam anni totius emenso curriculo, sufficias, necessarium satis est, ut plures tibi sacri operis adiutores adsciscas, presbyteros videlicet ordinando, atque instituendo doctores, qui in singulis viculis praedicando Dei verbo, et consecrandis mysteriis coelestibus, ac maxime peragendis sacri baptismatis officiis, ubi opportunitas ingruerit, insistant.

PL 94, 659; *Haddan-Stubbs* III 316.

B. — E legibus Anglosaxonum.

1. — E legibus *Wihtraedis regis* Cantiae (Kent), quas a. 695 in synodo Berstead cum Birhtwald, archiepiscopo Britanniae et Gybmund episcopo Hrofensi (Rochester) aliisque clericis et laicis sancivit: c. 6. Si presbyter omittit baptismum aegroti... usque ad iudicium episcopi ab officio suspendatur. *Liebermann* p. 12.

2. — 688-95. E legibus *Ine regis* Westsaxonum: c. 2. Puer infra triginta noctes baptizetur; si non sit, XXX sol. emendetur. *Liebermann* p. 91.

3. — 921. E legibus *Aelfred et Guthrum* regum: c. 3, 2. Si presbiter... baptismum neget ei cui necesse sit, reddat witam cum Anglis et cum Danis lashlit, hoc est XII oras. *Liebermann* p. 131.

C. - *Ex synodo Cloveshov.* a. 747 syn. Cloveshovensis sub Cuthberto archiepiscopo Cantuariensi statuit: c. 9. Ut ipsi presbyteri non accipiant pretium pro baptizandis pueris.

Haddan-Stubbs III 361; *Mansi* XII 402.

His testimoniis probatum esse videtur, factum memoratum, Angliam scil. per sex annos baptismate privatam fuisse, non ex absentia archiepiscopi expulsi, quasi unice competentis ministri baptismatis, explicari posse. Alia ergo explicatio quaerenda est.

66.

c. 904. *Synodus in Anglia celebrata.*

Complures conciliorum collectiones, v. g. Harduin IV 425, Mansi XVIII 111, de interdicto a Formoso Papa in Angliam lato et de synodo eodem tempore habita loquuntur; referimus textus eo ordine quo in dictis collectionibus traduntur, secundum meliores tamen editiones:

a. Willelmi Malmesbiriensis Monachi de Gestis Regum Anglorum:

Lib. II § 128. Sed ut ad nostrum Eduardum revertar, quid ejus tempore de renovandis episcopatibus a papa Formoso praeceptum sit, jucundum puto memoratu: itaque verbis eisdem quibus inveni scriptum interseram.

§ 129. Anno, quo a nativitate Domini transacti sunt anni nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem, et maledictionem regi Eduardo, et omnibus subjectis ejus, pro benedictione, quam dederat bea-

ius Gregorius genti Anglorum a sede sancti Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat episcopis omnis regio Gevissorum, id est Westsaxonum. Quo audito, congregavit rex Eduardus Synodum senatorum gentis Anglorum, cui praesidebat Pleigmundus archiepiscopus Cantuariensis interpretans districte verba apostolicae legationis. Tunc rex et episcopi elegere sibi suisque salubre consilium, et juxta vocem dominicam: «Messis quidem multa, operarii autem pauci» (Mt. 9): elegerunt et constituerunt singulos episcopos singulis provinciis Gevissorum: et quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt.

Acto concilio archiepiscopus Romam cum honorificis muneribus adiit, papam cum magna humilitate placavit, decretum regis recitavit, quod Apostolico maxime placuit. Rediens in patriam, in urbe Cantuariae uno die septem episcopos septem ecclesiis ordinavit:.... hoc etiam totum papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.

ed. *Stubbs, W.* 140 s., London 1887 (Rerum Britannicarum Medii Aevi Scriptores); PL 74, 1093.

b. Huc pertinet ex ejusdem Willelmi Malm.: de Gestis Pontificum Anglorum:

Lib. II § 80. Sigelmo successit Ethelwordus. Quo mortuo cessavit episcopatus Westsaxonum annis septem, vi scilicet hostilitatis cogente. Postmodum vero Pleimundus archiepiscopus, et rex Eduardus, filius Elfredi, minis et edictis Formosi papae coacti, quinque episcopos pro duobus fecere, ut sepius diximus, et nunc non importune pro contexenda rerum serie repetimus...

ed. *Hamilton, A.* 177 s., London 1870 (Rer. Brit. M. Ae. Scr.); PL 79, 1535.

c. Epistola Formosi papae ex Will. Malm. de Gestis Pontificum Anglorum:

Lib. I § 38. Fratribus et filiis in Christo omnibus episcopis Angliae Formosus. Audito, nefandos ritos paganorum partibus in vestris repullulasse, et vos tenuisse silentium, ut canes non valentes latrare, gladio separationis a corpore Dei ecclesiae vos ferire deliberavimus. Sed quia, ut nobis dilectus frater noster Pleimundus intimavit, tandem evigilastis, et semina verbi Dei

olim venerabiliter jacta in terra Anglorum coepistis renovare; mucronem devotationis retrahentes, Dei omnipotentis, et beati Petri apostolorum principis benedictionem vobis mittimus, orantes ut in bene coeptis perseverantiam habeatis... Nulla itaque mora sit subrogandi alium cum quilibet sacerdotum ex hac vita migraverit, sed mox ut illi qui primae sedis principatum gerens inter vos ceteris episcopis praeesse dinoscitur, fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonice alter consecratus succedat.

ed. *Hamilton* 59s.; PL 79, 1471; IL 3506.

Nota. In textibus allatis Formosus Papa a. 904 ad Eduardum Angliae regem epistolam misisse affirmatur. Quod quidem impossibile est, quia certo constat Formosum Papam a. 896 obiisse, Eduardum vero anno tantum 901 regnare coepisse. Iam Baronius hanc difficultatem advertit et sine successu solvere studuit. Post eum usque ad nostram aetatem varia conamina ad solvendan difficultatem facta sunt, quae partim apud Mansi XVIII 112s. referuntur. Non desunt qui totam narrationem de industria falsificatam esse putent. Dicendum tamen videtur narrationem secundum substantiam veram esse, auctorem solummodo quoad plures circumstantias in errorem incidisse.

Auctor scil. monachus Malmesbiriensis scripsit fere 1114-1123. Historici optimae notae eum fide dignum esse declarant, v. g. *G. Waitz*, qui partem ejus librorum edidit, de eo dicit: « Inter quos [scriptores] Willelmus monachus Malmesbiriensis, vir litterarum amore, industria et doctrina conspicuus... magnam apud posteros laudem meruit ». (MGH Pertz, Script. X 449). Similiter clarissimus *W. Stubbs* in sua editione Malm. supra allegata p. 141 nota. Praeterea Manitius III 466.

Textum memoratum de Gestis III § 129 Willelmus Malm. e manuscripto, quod Leofric episcopus (ob. 1073) cathedrali Exeter dederat, hausit. De synodo anni 904 primum testimonium invenitur in Historia coenobii Abendoniensis (Abingdon), auctore *monacho Abendoniensi*, scripta ante a. 1000, quam ex-parte edidit *H. Wharton,* Anglia sacra, Tom. I, London 1691; Wharton testatur se ipsum manuscriptum originale inspexisse.

De manu Formosi Papae plures epistolae traditae sunt (cfr. v. g. Mansi XVIII 100ss.). Tempore Formosi (891-96) in Anglia secta paganicis erroribus infecta orta est, ut patet ex epistola Fulconis archiepiscopi Remensis, propterea ratio ad talem epistolam in Angliam mittendam aderat; sed scripta est inter a. 892-96, non tempore Eduardi regis. Post mortem Formosi propter bella in Anglia saevientia regnum Westsaxonum per septem annos episcopis carebat, postea a. 904 concilium congregatum est. No-

mina septem episcoporum, qui Cantuariae consecrati esse dicuntur optime cum anno 904 concordant.

Cum sufficienti igitur probabilitate dici potest: epistola Formosi scripta est a. 892-96, synodus habita est a. 904, sed inter haec duo facta nullus est nexus. Error Willelmi Malm. consistit in eo, quod inter epistolam et synodum nexum statuendum esse putavit. Sic jam observatio *P. Antonii Pagi* apud Mansi XVIII 113.

67.

Ante 923? *Conc. Senonense (Sens)* [1].

C. 14. Item antiquum statutum concilii provincialis rursus renovantes praecipimus, quod quando aliqua terra, propter delictum domini terrae vel ballivorum, supposita fuit interdicto, nullatenus relaxetur: donec ad arbitrium et moderamen relaxantis, presbyteris parochialibus de damnis et de perditis, interdicti occasione illatis, plane fuit satisfactum, vel de satisfaciendo cautum.

Mansi XVIII 324; PL 132, 720.

68.

988. *Conc. Silvanectense* (*Senlis*).

Episcopi provinciae Remensis contra praedones civitatis Remensis anathema protulerunt:

Vos quoque, quorum dolo et fraude, consilio et auxilio, tantum scelus factum est, cum his qui principes tanti facinoris fuerunt, consociandi estis: ut poenam peccati simul feratis, qui

[1] In variis collectionibus conciliorum 14 canones tanquam « Constitutiones ex concilio Galteri archiepiscopi Senonensis » referuntur et Gualterio I, qui 887-923 regnavit (*Gams* 629), adscribuntur. Quamquam nullum vestigium concilii sub hoc Gualterio celebrati habetur, auctores nihilominus de eo loquuntur v. g. *Hefele* IV 578, *Chevalier*, Répert. Topo-Bibl. 2924 etc. Vix intelligitur quomodo talis error in permultos libros irrepserit. Ob varias enim rationes prorsus impossibile est illas « Constitutiones » ad saeculum X pertinere. De facto in concilio Senonensi a. 1239 sub Galtero Cornut archiepiscopo Senon. (1222-1241) celebrato statutae sunt. Eaedem conciliorum collectiones, quae « Constitutiones Galteri » sub anno 920 referunt, simul easdem anno 1239 adscribunt: *Mansi* XXIII 509; *Hefele* V 1048; cf. *Hinschius* III 588 n. 1.

causa peccati simul conspirastis, bona civium Remensium praedones impiissimi, velut sub hasta distraxistis. Nec etiam vos abesse debetis, qui in Adalberonem Laudunensem episcopum non minus levia perfecistis. Et ut pullulantem haeresim rescindamus, quae dictitat omnia licere Karolo etiam in sacris locis: Remensem simul ac Laudunensem ecclesiam, utramque sacrilegio, quamvis dissimili pollutam, a sacris removemus officiis, donec legitime reconcilietur utraque. Et ne quis nos talibus monstris hominum favere, talibus negotiis assensum praebituros putet, sed pro fide, qua vivimus, omnibus expositos periculis: sententiam nostram ita confirmamus, stabilimus, corroboramus. — Sequitur anathema in reos.

Mansi XIX 96; *Bouquet* X 519.

69.

1031. *Conc. Lemovicense II (Limoges).*

Praeerat huic concilio Aymo archiepiscopus Bituricensis (Bourges), quamquam de facto Iordanus episcopus Lemovicensis, qui et ipse concilium convocaverat, inter omnes eminebat. Iam in prima sessione Iordanus de perpetuis perturbationibus pacis ex parte principum et equitum commissis questus est (18. Nov. 1031):

Dolorem cordis mei vobis patefacio, o venerabiles episcopi, et reliqui ministri domini, et clamorem facio de saecularibus potestatibus parochianis meis, qui ecclesiam Dei quietam esse non sinunt, res sanctuarii pervadunt, pauperes mihi commissos et ecclesiae ministros affligunt, et me qui eorum pastor sum, de pace audire nolunt. Omnes episcopi uno ore dixerunt:... a nostro concilio anathemate plectendi, quousque fructuose poenitendo resipiscant.

Sequenti die de eadem re actum est:

Odalricus interea venerabilis pater familiae beati Martialis, sedens in cathedra juxta primatem Lemovicensem, sacris ut erat indutus ornamentis, dare coepit consilium episcopis, dicens: Hic vos, carissimi, oportet medicinam, quam contra generalem morbum adhibeatis. Si enim de pace tenenda, sicut est vestra voluntas, principes militiae Lemovicensis vobis obstiterint, quid

contra ista sit agendum? Dixerunt episcopi: Hac in re petimus, carissime, ipse date consultum.

Quibus ille: Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione: eo videlicet modo, ut nemo nisi clericus aut pauper mendicans aut peregrinus adveniens aut infans a bimatu, et infra, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur et baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus et omnes proni in faciem preces pro tribulatione, et pace fundant. Poenitentia et viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias, sicut in parasceve, nudentur, et cruces et ornamenta abscondantur, quia signum luctus et tristitiae omnibus est. Ad missas tantum, quas unusquisque sacerdotum januis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur et iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat. Nemo altari osculum det. Nemo clericorum aut laicorum vel habitantium vel transeuntium in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos quam illos quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum vel clericorum tondeatur neque radatur, quousque districti principes, capita populorum, per omnia sacro obediant concilio.

Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur, nisi cum digna poenitentia. Magnopere enim episcoporum excommunicatio est observanda: ne forte plus irascatur furor domini super nos et super populum.

Tunc interrogatum est in concilio, utrum uni aut duobus primoribus, si obedierint, debeat ab episcopo ignosci, sine omnibus aliis, an non? Quod Aemilius pontifex et Azenerius abbas hoc modo enodaverunt, respondentes: Si de centum impiis praeter unum nequimus revocare, ipsum solum cum gaudio debemus suscipere.

Odolricus autem pater sic respondit: Si unus de centum perditis ad salutem lucratur, gaudium est coram angelis Dei. Si quis denique post mortem inobediendi, ad obediendum episcopo festinat, jam a Deo interius vivificatur, ideoque eum absolvi necesse est. Nam de his qui ad poenitentiam compunctos non suscipiunt, obduratos vero aut terrore aut amore saeculari absol-

vunt, sic Spiritus sanctus per prophetam dicit: Mortificabant animas quae non moriuntur et vivificabant animas quae non vivunt (Ezech. 13). Et rursum: Vae his qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem (Is. 5).

Si ergo vel unus ex primoribus principibus vobis obedierit, ceteri vero omnes attrita fronte rebelles extiterint: pacificum suscipite in pace Christi, eique in omnibus opem ferte: et terram honoremque ejus in absolutione gaudentem et liberum esse permittite, ceterae autem partes Lemovicensis terrae, quae rebelles principes habeant, in supradicto relinquantur anathemate usque ad dignam correctionem, ut sit inter bonum et malum differentia, ac si inter lucem et tenebras. Quod si omnes majores potestates Lemovicenses pacem consenserint, ut omnia sint absoluta, et aliqui de privatis militibus, sive minoribus principibus, inventi fuerint concilio inobedientes: hi tales ita privatim excommunicentur, ut sint segregati a communione corporis et sanguinis domini, in ecclesiam intrandi nullam habeant licentiam, cum christianis non comedant neque bibant neque ambulent, linum non induant, carnem non comedant, vinum non bibant, non tondeantur neque radantur, ad nullas orationes proficisci praesumant; si infirmi fuerint, non visitentur a clerico: morientes in ipsa excommunicatione non sint de loco levati, in quo mortui fuerint, nec cooperiantur ligno, neque petra, neque aliqua munitione, substantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemosynam recipiat.

Mansi XIX 509; 541 s.

70.

1056. *Conc. Tolosanum (Toulouse).*

Sept. 1056 jussu papae Victoris II praesidentibus ejus legatis octodecim episcopi apud urbem Tolosam ad concilium convenerunt ad exstirpandam simoniacam haeresim. In hoc concilio Berengarius Vicecomes Narbonensis querimoniam contra Wifredum archiepiscopum Narbonensem, qui per simoniam sedem suam obtinuerat et propterea pluries a Romanis pontificibus dammatus

est, proposuit. Berengarius de controversia cum archiepiscopo orta refert et affirmat se ab eo injuste condemnatum esse:

...Sed excommunicavit [archiep.] inclementer atque injuste me et meam uxorem, meosque infantes, et omnem nostram terram, tam crudeliter, ita ut nullus ibi baptizetur, nec communicetur, nec sepeliatur. Nos autem, nisi timor Dei esset, parvi penderemus suam excommunicationem, quem tot malis novimus sceleratum, et a papa Victore cum CXX episcopis anathematizatum.

Mansi XIX 853.

71.

1078. *Conc. Pictaviense* (*Poitiers*).

I. Decrevit sancta synodus ut nullus episcopus, abbas, presbyter, vel quaelibet persona de clero, accipiat de manu regis vel comitis, vel cujuslibet laicae personae donum episcopatus, vel abbatiae, vel ecclesiae, vel aliquarum ecclesiasticarum rerum. Sed episcopus a suo metropolitano, abbas, presbyter et caeterae inferiores personae a proprio episcopo. Si vero laici decretis canonicis resistentes, ecclesias violenter tenere praesumpserint, ipsi excommunicentur; in ecclesiis vero illis nullum divinum officium fiat, nullus ibi oret, lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur, tantum baptismi gratia ibi non negetur, infirmis remedio poenitentiae et communionis subveniatur.

Mansi XX 498.

72.

1083. *Conc. Romanum a Gregorio VII celebratum.*

XV. Ubicumque presbyter vel monachus vel peregrinus vel res eorum captae fuerint, statim excommunicetur receptum, unde factum vel ad quod ductum fuerit.

XVII. In castellis vel villis in quibus sunt monachorum monasteria, postquam presbyteri a divino cessabunt officio propter excommunicatos, monachi portas ecclesiae omnes claudant, nisi unam ex parte claustri, per quam ipsi intrent, nec eant tantum, et signa non sonent, ne forte eis divinum celebrantibus officium aliquis excommunicationis macula aspersus se ingerat.

Pflugk-Harttung II 126 nr. 162; IL 5260.

73.

1096, *Febr. Conc. Rotomagense. Ex Orderici Vitalis Hist. eccl.*

Lib. IX c. 3. Guillelmus igitur archiepiscopus concilium Rotomagi (Rouen) aggregavit, et cum suffraganeis episcopis de utilitatibus ecclesiasticis tractavit. Tunc omnes mense Februario Rotomum convenerunt, capitula synodi, quae apud Clarummontem (Clermont) facta est, unanimiter contemplati sunt; Scita quoque apostolica confirmaverunt, et hujusmodi scriptum posteris dimiserunt:

(c. 1-3 de trevia Dei, ad quam observandam omnes a XII annis et supra per juramentum se obligare debent).

c. 4. Statuit praeterea sancta synodus, ut omnes feriantur anathemate, qui hoc juramentum facere noluerint, vel hanc constitutionem violaverint, et omnes qui eis communicaverint, vel sua vendiderint: sive fabri sive alii officiales; sive presbyteri qui eos ad communionem susceperint, vel divinum eis officium fecerint. Hoc etiam anathemate feriuntur falsarii; et raptores et emptores praedarum, et qui in castris congregantur propter exercendas rapinas, et domini qui amodo eos retinuerint in castris suis. Et auctoritate apostolica et nostra prohibemus ut nulla christianitas fiat in terris dominorum illorum.

ed. *Le Prevost* Tom. III 470; PL 188, 653; hoc concilium refert *Mansi* XX 921ss.

74.

1096. *Concilium Nemausense (Nîmes). Abbas monasterii Bened. Rivipollensis (Ripoll, d. Vich, prov. Gerona, Catalonia) queritur de archiepiscopo Tarraconensi et clero diocesis Ausonae (Vich).*

Anno Dominicae Incarnationis MXCVI. Aera millesima CXXXIV, venit Dominus papa Urbanus ad celebrandum concilium apud civitatem Nemausensem cum multitudine episcoporum atque abbatum et ceterorum fidelium diversi ordinis, ex multis provinciis atque regionibus illuc confluentium; ubi de statu Ecclesiae Dei multa fuerunt a jam dicto papa et reliquo conventu Deo opitulante disposita. Inter quos adfuit domnus Bernardus

sanctae Dei genitricis Mariae scilicet Rivipollentis abbas conquerens super Domno Berengario Tarraconensi archiepiscopo et sedis Ausonae clero, qui ecclesias praedicti coenobii, scilicet Rivipollentis, contra privilegia apostolica eidem loco a pontificibus Romanae Ecclesiae concessa a divino officio interdixerant. Unde causa concordiae egressi sunt in partem Gualterius Albanensis episcopus, et domnus Ricardus, Romanae Ecclesiae cardinalis et abbas Massiliensis, et Gothafredus Magalonensis, et Bernardus Gerundensis, et Artallus Ellenensis pontifices, et Petrus Cuxanensis, et Benedictus Balneolensis Abbates, et Willermus Raymundi palatii Barchinonensis dapifer, et alii quamplurimi bonorum hominum tam clericorum quam laicorum, qui interfuerunt illo colloquio. Ante hos vero omnes praefatos Tarraconensis archiepiscopus testatus est, quod eo nesciente et absque sua omnino jussione facta fuisset interdictio ecclesiarum praelibatae Sanctae Mariae Rivipollentis coenobii. In quorum etiam praesentia dixit quod competentem faceret justitiam praenominato abbati et monachis praefixi coenobii de clericis qui praefatam interdictionem fecerant, et auctores malae operationis extiterant. Et ne aliqua alteratio vel inimicitia seu discordia inter se et abbatem praenominatum et monachos ejus de violandis Pontificum Romanorum privilegiis amodo oriretur, coram omnibus superius memoratis his verbis injunxit: Ego Berengarius gratia Dei Tarraconensis archiepiscopus laudo atque confirmo seu corroboro privilegia quae a Romana Ecclesia jam dicto loco Sanctae Mariae Rivipollentis coenobii olim fuerunt concessa, et ea in perpetuum fideliter observabo sicut mei antecessores ea melius noscuntur observasse. Berengarius gratia Dei Tarraconensis Archiepiscopus. Actum est hoc apud praefatum concilium V. Idus Iulii anno XXXVIII regni Philippi Regis Francorum.

Flórez, España Sagrada XXV (ed. 2. 1859) 218; *Mansi* XX 940.

75.

1096. *Conc. Nemausense (Nîmes) praesente Urbano II. celebratum.*

IV. Quicumque episcopum, abbatem, vel archidiaconum, vel presbyterum capere praesumpserit: publica primum dedeco-

ratus infamia, honoris sui periculum incurrat: et tamdiu excommunicetur et terra sua interdicatur, quamdiu ecclesiae satisfacere distulerit. De caeteris vero clericis canonum teneatur sententia.

V. Quotiens aliquis ecclesiae antistes ex hac vita migraverit, duae de melioribus ejusdem ecclesiae personae eligantur, quae res episcopi defuncti, sicut ipse disposuerat, fideliter tractent, et quae ad episcopatum pertinent successuro pastori conservent. Quod si aliquis tyrannus res episcopii interim invaserit, aut violaverit: excommunicationi subjaceat, et ecclesia illa a divino cesset officio, et minores ecclesiae tanquam matri compatiantur, quousque digna satisfactio subsequatur.

XVI. Monachi nullo modo recipiant ad sepulturam, aut ad quodlibet divinum officium, excommunicatos, aut raptores, aut interdictos.

Mansi XX 935 ss.

76.

1100, Oct. *Synodus Melphiensis. Annales Beneventani.*

1100. Obiit Clemens papa, intrusus. Obiit Rogerius comes. Paschalis papa descendit in Apuliam, et fecit synodum in Melphia mense Octobris, et excommunicavit Beneventanam civitatem; et permansit ita excommunicata menses 11, dies 21.

MGH Script. III 183.

77.

1112. *Conc. Aquense (Aix-en-Provence). Archiepiscopus Aquensis quotannis quartam partem omnium redituum ecclesiarum archiepiscopatus recipere debet.*

III. Si quis vero in solvendo quarta parte magis inobediens extiterit, post tertiam admonitionem officio suspendatur. Si vero post XL dies in contumacia permanserit, ut raptor et sacrilegus ab omni ordine deponatur. Ecclesiae etiam in quibus haec injuria facta fuerit, divinis careant officiis.

Martène, Thes. nov. anecp. IV 130s. Cf. *Hefele* V 322. Acta hujus Concilii accuratius edidit *Ul. Chevalier,* Gallia Christ. Novissima I (1899) Instr. p. 7 n. 6.

10. **Tertulliani: De Baptismo.** — Recensio nova cum introductione, notis, indicibus. (ADH. D'ALÈS). in-8°, pp. 58, 1933 - L. 4.

11. **De ordaliis. - II.** Ordo et rubricae. Acta et facta. Sententiae theologorum et canonistarum. (P. BROWE). in-8°, pp. 112, 1933 - Lire 6.

12. **De origine et evolutione interdicti.** I. Scriptores, epistolae, concilia (W. RICHTER). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

13. **De origine et evolutione interdicti.** II. Decreta Rom. Pontificum (W. RICHTER). in-8°, pp. 78, 1934 - Lire 6.

14. **Quaestio de unico esse in Christo.** Documenta saec. XIII. (E. HOCEDEZ). in-8°, pp. 132, 1933 - Lire 6.

15. **S. Leoni Magni Epistolae de Fide Chalcedonensi.** I. Epistolae Concilio praemissae (C. SILVA-TAROUCA et F. DI CAPUA). Sub prelo.

ALII TOMI PARANTUR

ratus infamia, honoris sui periculum incurrat: et tamdiu excommunicetur et terra sua interdicatur, quamdiu ecclesiae satisfacere distulerit. De caeteris vero clericis canonum teneatur sententia.

V. Quotiens aliquis ecclesiae antistes ex hac vita migraverit, duae de melioribus ejusdem ecclesiae personae eligantur, quae res episcopi defuncti, sicut ipse disposuerat, fideliter tractent, et quae ad episcopatum pertinent successuro pastori conservent. Quod si aliquis tyrannus res episcopii interim invaserit, aut violaverit: excommunicationi subjaceat, et ecclesia illa a divino cesset officio, et minores ecclesiae tanquam matri compatiantur, quousque digna satisfactio subsequatur.

XVI. Monachi nullo modo recipiant ad sepulturam, aut ad quodlibet divinum officium, excommunicatos, aut raptores, aut interdictos.

Mansi XX 935 ss.

76.

1100, Oct. *Synodus Melphiensis. Annales Beneventani.*

1100. Obiit Clemens papa, intrusus. Obiit Rogerius comes. Paschalis papa descendit in Apuliam, et fecit synodum in Melphia mense Octobris, et excommunicavit Beneventanam civitatem; et permansit ita excommunicata menses 11, dies 21.

MGH Script. III 183.

77.

1112. *Conc. Aquense (Aix-en-Provence). Archiepiscopus Aquensis quotannis quartam partem omnium redituum ecclesiarum archiepiscopatus recipere debet.*

III. Si quis vero in solvendo quarta parte magis inobediens extiterit, post tertiam admonitionem officio suspendatur. Si vero post XL dies in contumacia permanserit, ut raptor et sacrilegus ab omni ordine deponatur. Ecclesiae etiam in quibus haec injuria facta fuerit, divinis careant officiis.

Martène, Thes. nov. anecp. IV 130s. Cf. *Hefele* V 322. Acta hujus Concilii accuratius edidit *Ul. Chevalier*, Gallia Christ. Novissima I (1899) Instr. p. 7 n. 6.

10. **Tertulliani: De Baptismo.** — Recensio nova cum introductione, notis, indicibus. (ADH. D'ALÈS). in-8°, pp. 58, 1933 - L. 4.

11. **De ordaliis. - II.** Ordo et rubricae. Acta et facta. Sententiae theologorum et canonistarum. (P. BROWE). in-8°, pp. 112, 1933 - Lire 6.

12. **De origine et evolutione interdicti.** I. Scriptores, epistolae, concilia (W. RICHTER). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

13. **De origine et evolutione interdicti.** II. Decreta Rom. Pontificum (W. RICHTER). in-8°, pp. 78, 1934 - Lire 6.

14. **Quaestio de unico esse in Christo.** Documenta saec. XIII. (E. HOCEDEZ). in-8°, pp. 132, 1933 - Lire 6.

15. **S. Leoni Magni Epistolae de Fide Chalcedonensi.** I. Epistolae Concilio praemissae (C. SILVA-TAROUCA et F. DI CAPUA). Sub prelo.

ALII TOMI PARANTUR

SERIES PHILOSOPHICA

1. **De Platonis doctrina circa animam.**
Textus selecti (J. SOUILHÉ). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
2. **De origine formae materialis.**
Textus antiqui et recentiores (P. HOENEN). in-8°, pp. 88. 1932 - Lire 6.
3. **De principiis ethicae socialis.**
Documenta ultimorum Rom. Pontificum (G. JARLOT). in-8°, pp. 82, 1932 - Lire 6.
4. **Quinque viae S. Thomae ad demonstrandam existentiam Dei, apud antiquos Graecos, philosophos Arabes et Iudaeos praeformatae vel adumbratae.**
Textus selecti (P. ARNOU). in-8°, pp. 104, 1932 - Lire 6.
5. **S. Thomae Aquinatis: De Ente et Essentia.**
Editio aucta introductione, notis, locis parallelis (C. BOYER). in-8°, pp. 64, 1933 - Lire 4.
6. **Controversia de aeternitate mundi.**
Textus antiquorum et scholasticorum cum introductione et notis (M. GIERENS). in-8°, pp. 103, 1933 - Lire 6.
7. **De Eudaimonia sive De Beatitudine.**
Textus e philosophis antiquis cum introductionibus et notis (J. B. SCHUSTER). in-8°, pp. 55, 1933 - Lire 4.
8. **Aristotelis de Anima libri tres, graece et latine.**
Lib. I. - Editio cum versione et notis (P. SIWEK). in-8° pp. 88, 1933 - Lire 6.
9. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. II. (P. SIWEK). in-8°, pp. 128, 1933 - Lire 7.
10. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. III. (P. SIWEK). in-8°, pp. 144, 1933 - Lire 7.
11. **S. Augustini doctrina de cognitione.** Textus selecti (L. KEELER). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

ALII TOMI PARANTUR

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

13

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE INTERDICTI

USQUE AD AETATEM IVONIS CARNOTENSIS ET PASCHALIS II

II. DECRETA ROMANORUM PONTIFICUM

VARIA DOCUMENTA COLLEGIT NOTISQUE ILLUSTRAVIT

WILLELMUS RICHTER S. I.

THEOL. PROF.

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta, 4

1934

TEXTUS ET DOCUMENTA

SERIES THEOLOGICA

1. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — I. Testimonia selecta e Patribus Graecis (S. TROMP). in-8° pp. 64, 1932 - Lire 4.
2. **S. Augustini: De Correptione et Gratia.** — Editio aucta introductione, notis, textibus parallelis (C. BOYER). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
3. **De obligatione catholicorum perseverandi in fide suscepta.** — Documenta Vaticana (H. LENNERZ). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
4. **De ordaliis** — I. Decreta R. Pontificum et Synodorum (P. BROWE). in-8°, pp. 48, 1932 - Lire 4.
5. **De frequenti communione in Occid. usque ad a. 1000.** — Documenta varia (P. BROWE). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
6. **Photius et Ecclesia Romana.** — Documenta notis illustrata I: Primus Patriarchatus Photii (G. HOFMANN). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
7. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — II. Testimonia selecta e Patribus Latinis (S. TROMP). in-8°, pp. 54, 1932 - Lire 4.
8. **Photius et Ecclesia Romana.** — II. A Synodo Romana (869) usque ad depositionem Photii (886) (G. HOFMANN). in-8°, pp. 52, 1932 - Lire 4.
9. **S. Leonis Magni Tomus ad Flavianum episc. Constantinopolitanum** (ep. 28) **cum Testimoniis Patrum et epistula ad Leonem I imp.** (ep. 165). — Editio nova cum introductione, notis, indicibus (C. SILVA-TAROUCA). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

13

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE INTERDICTI

USQUE AD AETATEM IVONIS CARNOTENSIS ET PASCHALIS II

II. DECRETA ROMANORUM PONTIFICUM

VARIA DOCUMENTA COLLEGIT NOTISQUE ILLUSTRAVIT

WILLELMUS RICHTER S. I.

THEOL. PROF.

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta, 4

1934

IMPRIMI POTEST

Romae, 3 Febr. 1934.

P. Raphael Bitetti,
Praep. prov. Rom. S. J.

IMPRIMATUR

Romae, 13 Febr. 1934

† Iosephus Palica,

ROMAE — TYPIS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Pm.

Decreta Rom. Pontificum

78.

417-418. *Zosimus papa. Coll. Taurin.*

Cap. I. Quicumque interdicta despexerit, gradum amittat donec acquiescat.

Pflugk-Harttung II 8 nr. 24; IL 338 α. Falsificatio.

79.

590-604. *Gregorius I Childerico regi Francorum. Scribit se monasterio S. Petri, quod Elnone sive Nantuacum (Nantua, d. Lyon) vocatur, privilegia concedere.*

Sed neque ipsi archiepiscopo Lugdunensi, neque ulli episcopo permittimus, illi ecclesiae vim excommunicationis inferre ullo modo, nisi apostolica deliberatione.

Pflugk-Harttung III 3 nr. 2, qui bullam falsam esse declarat, jam ea de causa, quia tempore Gregorii I nullus rex Childericus vixit; IL 1928.

80.

779? *Leo III Chalorto abbati monasterii S. Saturnini (de Tabernoles, dioec. Urgel, Hispan.).*

Interdicimus autem, ut nemo sit qui excommunicare ipsum monasterium audeat vel ecclesias ei subiectas preter me vel hos qui post me Christo opitulante in apostolica succedent sede.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien (1926), I. Katalanien, 244; Bulla ex toto conficta est. Falsificationem sat antiquam esse ex eo patet, quod

monasterium ea ad impetrandam confirmationem exemptionis ab Urbano II usum est, quam de facto d. 19. Apr. 1099 obtinuit. (Vide infra). IL -

81.

878. *Iohannes VIII ad arch. Ravenn. Vide supra nr. 10 nota.* IL 3122.

82.

891-96. *Formosus papa episcopis Angliae. Vide supra nr. 66c.* IL 3506.

83.

967. *Iohannes XIII monasterio S. Bartholomaei extra muros Ferrarienses.*

Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina celebrare officia.

Pflugk-Harttung II 48 nr. 83; IL 3711. Documentum certe falsum, saec. XIII aut XIV confectum. *Italia Pontif.* V 233.

84.

979, Mai 8. *Benedictus VII Gausberto abbati Bened. monasterii S. Petri Bisuldunensis (Besalú, Catalonia).*

Confirmamus igitur, et stabilimus ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus in ipsum monasterium, sive suas ecclesias a praedicto episcopo [Gerundensi, Gerona] datas, neque clericos in eis stantes, in eodem monasterio, neque abbatem, monachos et conversos suos audeat et praesumat sententiam excommunicationis inferre, vel a nullo possint interdici vel excommunicari, nisi a Romano pontifice.

Item etiam concedimus, ut si quis causa orationis ad praedictum monasterium venerit, habeat licentiam introducendi, et omne officium audiendi, nisi forte quis reatu suo proprio fuerit excommunicatus.

Martène, Vet. script. ampl. coll. I 328; IL 3800.

85.

997. *Gregorius V monasterio Floriacensi, O. S. B. (Fleury, St.-Benoit-sur-Loire).*

... idcirco suggessit auctoritati nostre venerabilis abba nomine Abbo ex cenobio quod vocatur Floriacus...

Addimus etiam ut... nec aliquis de ordine sacerdotali, archiepiscopus scilicet vel episcopus aut clericus eum (sc. abbatem) inquietare nec sine voluntate ipsius ad idem monasterium venire aut aliquam ordinationem facere vel missas celebrare presumat, ut omni tempore quieti et securi absque omni molestia vel controversia monachi in eodem monasterio Deo deservire possint...

Quod si peccatis habitatorum terre exigentibus, excommunicationis anathema ad eos pervenerit, id privilegium eidem monasterio indulsimus, ut fratres ejusdem congregationis peragant divinum officium, in omnibus absoluti.

Pfister, Ch., Etudes sur le Règne de Robert le Pieux, Paris 1885 p. LVII (Bibliothèque de l'école des hautes Etudes, fasc. 64); qui auctor usus est manuscripto saeculi XVII ex cartulario du prieuré de la Réole in Bibliotheca de la Réole, fol. 34; cf. quoque *E. Sackur*, Die Cluniacenser, I (1892) 294. IL 3872.

86.

998. *Gregorius V Leopoldo abbati monasterii O. S. B. Fabariensis (Pfaevers, d. Chur, Helvetia).*

Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis interdictis, non pulsatis campanis, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto.

A. Eichhorn, Episcopatus Curiensis in Rhaetia, Cod. prob. 35; IL 3889. Falsificatio! Textus a. 1656, probabiliter partim ad exemplum privilegii Paschalis II d. 29 Ian. 1116 concessi confectus est. Cf. *Th. von Mohr*, Die Regesten der Schweiz. Eidgenossenschaft. I. Band, Heft 4. *K. Wegelin*, Die Regesten der Benediktiner Abtei Pfaevers; *E. Stengel*, Karl Widmers Pfaeverser Faelschungen; in: Festschrift f. Alb. Brackmann (1931) 591-601; Brackmann, *Germania Pontif.* II 2 (1927) 112.

87.

999, *Nov. 23. Sylvester II Theotardo episcopo Ecclesiae Vallavensis (Anicium Velavorum, Puy).*

Quotiens quaestiones ex adverso oriuntur, oportet ut synodali concilio finis quaeratur, et secundum synodalem definitionem, quod statutum fuerit impleatur. Quocirca, quia constat ex generali synodo habita Romae, Stephanum tuae Ecclesiae invasorem a praedecessore nostro Gregorio V jure damnatum et ab omni sacerdotali officio depositum, quod Guidone vivente episcopo avunculo et praedecessore suo sit electus, sine cleri et populi voluntate, et a quibusdam tantum episcopis in episcopum post ejus mortem sit ordinatus, et quia in ea synodo clericis in Vallavensi ecclesia Deo famulantibus, licentia alium eligendi episcopum prius concessa, decretum est, ut eorum electus a Romano pontifice in episcopum ordinaretur, et cum te ab eisdem electum didicerimus, ideo eorum electioni favente auctoritate apostolica, te in episcopum ordinamus, atque pastorali sollicitudine te, frater charissime, hortamur ut sollerti cura gregem tibi commissum custodias temetipsum sic in bonis operibus disponas, etc., ut si quis episcopus te vel tuum locum ausu temerario excommunicare praesumpserit aut anathematis vinculo irretire tentaverit, nostro fretus munimine ipsam excommunicationem parvipendas.

Gallia Christ. II 226; PL 139, 274; IL 3906.

88.

1000, *Nov. Silvester II Emeno abbati monasterii O. S. B. Dolensis (Déols).*

In tantum etiam ut si contigerit totum episcopatum Bituricensem (Bourges), in cujus parrochia illud videtur esse monasterium jamdictum cum adiacente cella Vodolionis (Voullion) nomine, necessitate cogente ab eodem episcopo excommunicari, cuncta monasteria vel omnes ecclesie eidem loco subdite omnesque monachi cum omnibus subditis immunes a sua excommunicatione maneant semper et cum omnibus servis et ancillis ac quotidianis servientibus eiusdem loci. Liceatque illic Domino fa-

mulantibus monachis et divinum officium agere et iamdictos suos tumulare, eo autem contentu, ut alios homines ubique degentes a Bituricensi presule excommunicatos infra terminos monasterii non recipiant nec vivos nec mortuos, sed clausis januis ipsi monachi Domino vota sua persolvant.

W. Wiederhold, Papsturk. in Frankreich (1910, Beiheft) 25 nr. 1. Probabiliter falsificatio! IL –

89.

999-1003. *Silvester II ecclesiae Sanctorum Gervasii et Protasii in comitatu Gabalitano (Gabalum, Mende, dép. de la Lozère) privilegia concedit.*

Et iam ex nostra authoritate hoc contradicimus, ut nullus episcopus locum illum audeat interdicere; quod si quis fęcerit, iaculo maledictionis divine perfossus subiaceat.

W. Wiederhold, Papsturk. in Frankreich; Nachr. d. G. Göttingen, phil.-hist. Kl. (1913) Beiheft I 34; IL 3931.

90.

1004, *Apr. Iohannes XVIII monasterio Salmuriensi. Robertus abbas monasterii Sancti Florentii Salmurensis (Saint-Florent-Saumur) Romae confirmationem prioris privilegii obtinuit:*

Statuimus etiam ut, si decreto episcoporum pagus ille excommunicationis sententiam exceperit, liceat eidem coenobio missas ac reliqua sacra celebrare, neque ab episcopis propter hoc aliquod praejudicium sustinere cogatur.

Chroniques des églises d'Anjou II, ed. *P. Marchegay et E. Mabille,* Paris 1869, p. 259 (Société de l'histoire de France). IL 3941.

Nota. Haec Bulla refertur in Historia mon. S. Florentii Salmurensis, quae a Michaele ejusdem coenobii abbate saec. XIII. ineunte scripta esse dicitur. Manuscriptum originale Bullae conservatur in Archives du département de Maine-et-Loire. Editor affirmat se in sua editione Historiae textum Bullae secundum Originale verificasse. l. c. p. 254 nota.

In eadem Historia narratur, eundem Robertum abbatem (985-1011) ecclesiam Sancti Iohannis, Ligeris (Loire) alveo vicinam, dudum a rege

(Carolo Calvo) Sancto Florentio datam in Sancti Mauritii et Rainaldi Andegavorum antistitis ditionem tradidisse:

Cujus nobile privilegium, in papiro conscriptum, sub obtentu Bertae reginae ac filiorum ejus Theutbaldi atque Odonis, Romae Iohannes papa divinae majestatis apostolorum cunctorumque sanctorum protestatione commonuit, atque eundem Beati Florentii locum tuentibus vel augmentantibus... benedictionem ... promulgavit;... In eodem etiam privilegio continetur nullum omnino monachum nostrum ab aliquo praelato absque canonico judicio posse vel excommunicari vel interdici. l. c. 253.

Editor in nota advertit manuscriptum originale hujus privilegii non jam existere. Ejus textus conservatur in le Livre Rouge de Saint-Florent, fol. 29. Portat indicationem: Andegavis mense junio die secundo, anno VII Hugonis regis. (994). l. c. p. 253.

91.

c. 1008. *Iohannes XVIII Roberto Francorum regi.*

Olim fama vulgante vestram, praecellentissime regum, ecclesiasticum honorem comperimus diligere atque tenere excellentiam, ex qua re necesse est, ut si aliarum ecclesiarum honor a vobis excolitur, eam quae omnium caput est, tanto amplius honoretis, quanto constat reliquas ab ipsa exordium sumpsisse. Comperimus autem quosdam episcopos vestri regni authoritatem sedis apostolicae, quam in Romana urbe beatus Petrus suis tribuit successoribus, adeo contemptui habere, ut nullatenus se observaturos dicant. Quam contumaciam in Transalpinis nos audientes fore episcopis, et minime credentes, misimus fratrem et coepiscopum nostrum Bip. antistitem, ut rei veritatem agnosceret, qui se quidem a vobis honorifice et diu humanissime tractatum asseruit, a Gallicanis vero episcopis se injuriatum asseruit, dum in sui praesentia authoritatem sanctae Romanae ecclesiae despici audivit. Nos ergo pro susceptione fratris vestrae excellentiae gratias agimus. Miramur autem vestram magnificentiam hoc potuisse perpeti, ut in vestra praesentia, nam ibi, sicuti comperimus, praesens eratis, sancta Romana despiceretur ecclesia. Sed quia hoc vobis displicuisse nunc usque dissimulatis, hortamur vestam excellentiam, ut de caetero non taceatis, quinimo regia potestate decreta apostolicae sedis inconvulsa manere faciatis. Nam ut nobis relatum est memorati episcopi privilegia, quae sancti

praedecessores nostri regno concesserunt, destruere conantur, quae res nos graviter contristat, quia si nos statuta antecessorum nostrorum non servamus, nec nostra servari confidimus. Proinde per omnipotentiam Domini, authoritate quoque beati Petri principis apostolorum et nostra hortamur atque praecipimus, ut authores hujus praesumtionis in proximo Pascha ad nos venire faciatis. Sunt autem Leterius pseudoarchiepiscopus Senonum, et ejus Aurelianensis suffraganeus Fulcho, qui in tantam proripuit proterviam, ut Gauzlino abbati monasterii S. Benedicti praeciperet privilegia a sede apostolica suo monasterio collata igne cremare. Volumus autem ipsum abbatem pariter advenire, ut apud sanctam, cui Deo licet concedente indignus praesum, sedem coram finiatur controversia, et contemptor sancti Petri digna plectatur poena. Qui vero tua amantissima admonitione spreta, ad sanctum Petrum et ad nos venire despexerit, nisi corporis infirmitas eum gravaverit, a divinis se alienum misteriis ex Dei et nostra sciat existere sententia. Cujus aegritudinis modum tuae excellentiae literae regali sigillo signatae nostrae indicare curabunt sollicitudini. Vestri itaque honoris magnitudo nostra studeat adimplere monita, et eos qui sedem appellaverunt apostolicam, nulla sinat ab adversariis rerum suarum pati dispendia, ne si, quod absit, aliter quam mandamus actum fuerit, non solum contumacibus, verum omni vestro regno anathematis invehatur censura. Sempiternus Deus sua vos protectione custodiat, et post longa temporalis regni curricula ad regna perducat aeterna, amen.

Gallia Christiana VIII (1744) 490 s; *Neues Archiv* 3 (1878) 357 s; IL 3958.

Nota. Quanam occasione haec epistola scripta sit, apparet ex *Vita Gauzlini* (scripta anno 11. post mortem Guazlini). Monasterium scil. Floriacense per Abbonem abbatem a. 997 a Gregorio V privilegium acceperat, quod nullus episcopus nisi ab abbate invitatus ad monasterium accedere posset. Sub Gauzlino, Abbonis successore, a. 1008 hoc privilegium ab episcopo impugnatum est, quod in Vita sic narratur:

I. 12. Interim humani generis inimicus, ejus prosperis condolens successibus, Fulchonem, presulem Aurelianensis episcopii, sue nequitie veneno inficit; astuque sue fraudis suggerit, uti ab illo repeteret dominium indebite subjectionis. Utque imminente, patris Benedicti sollempnitate ad Floriacum veniret, absque illius permissione, quod cautum tenetur apostolici privilegii sanctione, suadendo coegit et efficere fecit. Que res

ei non prospere cessit. Siquidem villam ingressus cum secularis potentie apparatu, burgensium clamor exoritur, mondine turbantur, sanctus undequaque invocatur Benedictus; episcopus in fugam vertitur, multi fustium ictibus ad necem pene usque delentur.

13. Hujusce modi controversiam, a primatibus Gallie compertam, regis presentia decernunt examinandam, quo duo maxima sancte ecclesie luminaria inter se quodam modo dissidentia ad fraterne pacis redirent foedera. Cui concilio intererat Leterius, Senonensium metropolitanus, nostre parti contrarius, clericorum fautor in omnibus. Quid plura? Res in medium agitur, judicium diligenti dijudicatione discutitur; nostri nullius culpe noxa tenentur, proditur etiam Romani pontificis decretum, quo continetur insertum, ne quando antistes Aurelianensium ad Floriacense presumat venire monasterium, nisi rogatu abbatis et omnium ejusdem loci expostulatione monachorum; in omnium auribus legitur, coram astantibus distincte recitatur. Extemplo pars adversariorum in iram sustollitur; Romani presulis scriptum spernendo violatur, infirmatur, ignibusque tradere minantur si quando illud possent corripere manibus, talique modo ab invicem disceditur.

14. Rescito hoc, papa Iohannes, relatu Petri unius cardinalium apostolice sedis, qui huic forte interfuerat conventui, superborum turbatus injuriis, hujus modi epistolam ad Rotbertum regem dirigit.

Neues Archiv 3 (1878) 356s.

92.

1016, *Dec. 25. Benedictus VIII Richardo II Normanniae duci.*

... Quapropter exhoc jam deinceps te et ecclesiam que a patre tuo fundata est... et domum tuam et omnia, que tui juris esse videntur... sub patrocinio B. Petri... et nostra... constituimus... Hoc etiam decernimus... ut nullus episcoporum audeat, excommunicationis jaculo te vel ecclesiam tuam, vel aliquem ex his, de quibus justiciam facere volueris, impetere, nisi ante sedem apostolicam... discussio hinc facta fuerit.

Pflugk-Harttung I 11 n. 13; IL 4015. Epistola spuria.

93.

1024. *Iohannes XIX Oddoni abbati monasterii Cluniacensis* (*Cluny d. Mâcon*).

Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione ut isdem locus sub nullius cujuscumque episcopi vel sacerdotis de-

primatur interdicti titulo seu excommunicationis vel anathematis vinculo. Non enim patitur sancte Sedis apostolice auctoritas ut ullius cujuscumque persone obligatione proscindatur a se cuilibet concessa liberalis libertas. Neque ipsius loci fratres ubicumque positi cuiuscumque episcopi maledictionis vel excommunicationis vinculo teneantur adstricti...

Et si aliquis cujuscumque obligatus anathemate eundem locum expetierit, sive pro corporis sepultura, seu alterius sue utilitatis et salutis pro gratia, minime a venia et oblata misericordia excludatur.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 323; I L 4065. — Quia in textu papa dicit se privilegium concedere ob interventum Heinrici imperatoris, dubium de authenticitate ortum est. Iohannes enim pontifex Iun. 1024 electus, Henricus vero d. 13 Iul. 1024 mortuus est. Tamen ex hoc solo falsificatio vix probari posse videtur, cum aliae rationes dubitandi non proferantur.

94.

1025, *Aug. 12. Iohannes XIX Gaufrido comiti Andegavorum (Anjou). Confirmat fundationem ecclesiae Bellilocensis (Beaulieu-lez-le-Mans).*

...praeter Romanum pontificem nullus archiepiscopus audeat, aliquam dominationem exhibere in ea, sive illam interdicere.

Pflugk-Harttung III 5 nr. 5, qui legendum putat Iohannes XIII et consequenter, quia annus pont. secundus indicatur, a. 967; ceterum totam bullam falsam esse declarat. I L 4069 bullam cum dubitatione Iohanni XIX ascribit eamque a suspicione non remotam esse dicit.

95.

1050, *April 8. Leo IX abbati mon. Electensis, O. S. B. (Alet, arr. de Limoux).*

Insuper auctoritate apostolica judicamus, ut nulli archiepiscoporum vel episcoporum monasterium ipsum, vel abbatem qui ibidem fuit, abhinc inantea, seu aliquem ex congregatione, vel aliquem pertinentem ad ipsum monasterium excommunicare vel anathematis vinculo innodare, seu, aliquod altarium ejusdem loci vel aliquam ecclesiam exconciliare liceat. Quod si aliquis prae-

sumpserit, ipse excommunicatione nostra constringatur, et dictum monasterium cum abbate et omnibus suis absolutum ab imposita sibi excommunicatione apostolica auctoritate maneat.

PL 143, 640; IL 4211.

96.

1050, *April 13. Leo IX Ingelbando abbati monasterii Dolensis (Déols).*

... In tantum etiam ut nec presuli Bituricensi (Bourges), in cujus parochia situm esse videtur illud monasterium jamdictum cum adjacente cella Vodolionis (Vouillon) nomine et omnia alia monasteria vel ecclesias aliqua ratione excommunicare liceat. Sed si necesse eidem presuli fuerit totum comitatum Bituricensem excommunicare, omnes monachi ejusdem monasterii cum omnibus servis et ancillis ac quotidianis servientibus ejusdem loci. Liceatque illic Deo famulantibus monachis et divinum officium agere et jamdictos suos tumulare, eo tamen conventu, ut alios homines ubique degentes a Bituricense presule excommunicatos infra terminos monasterii non recipiant vivos nec mortuos, sed clausis januis ipsi monachi Domino vota sua persolvant.

Wiederhold, Papsturk. in Frankreich (1910) Beiheft V 28 nr. 2. IL –

97.

1050, *Sept. Leo IX celebrato synodo Vercellensi Bernardo abbati monasterii S. Michaelis (San Michele della Chiusa d. Torino) privilegia concedit.*

Episcopo, in cuius dioecesi site sunt ecclesie, precipimus et omnino interdicimus, ut nullam dominationem nullamque postulationem ac potestatem illi erogare, sed consecrationem ac ordinationem gratis tribuat. Quod, si gratis facere noluerit ac aliquam dationem affectaverit ac pro hoc calumniari voluerit et ecclesias et aliquos pertinentes excommunicare voluerit, ipse excommunicatione nostra constringatur ac prememorata ecclesia et eorum omnia absoluti ab imposta sibi excommunicatione apostolica auctoritate maneret.

Pflugk-Harttung II 75 nr. 109; IL 4237; *Italia Pontif.* VI 2, 122.

98.

1057, *Febr. 27. Victor II Anselmo abbati monasterii O. S. B. sancti Iusti martyris in civitate Segusia (S. Giusto, Susa, d. Torino).*

Insuper apostolica auctoritate iudicamus ut nullus archiepiscoporum vel episcoporum monasterium ipsum vel abbatem qui ibidem fuerit ab hinc et inantea seu aliquem ex congregacione constringat et dictum monasterium cum abbate et omnibus suis absolutum ab imposita sibi excommunicacione apostolica auctoritate maneat.

Paul Kehr, Papsturk. in Turin; Nachrichten d. G. Goettingen (1901) 84; *Italia Pontif.* VI 2, 118; textus dicitur male conservatus esse, propterea supponere licet inter verba « congregacione » et « constringat » supplendum esse « excommunicatione », sicut ex sequentibus patet et in similibus documentis legitur. IL -

99.

1055-57. *Victor II Gaufredo comiti Andegavorum (Angers) et Agneti comitissae. Monasterium O. S. B. Vindocinense (Vendôme) quod comes de novo fundavit, privilegiis exornat.*

Hoc etiam adjicimus ut tam in Vindocinensi loco, quam in Sancti Salvatoris juxta Andegavis muros ecclesia, nulli personae, nisi solo Romano pontifici liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere, etiamsi Carnotensis aut Andegavensis patria pro culpis quibuslibet excommunicentur, excommunicati tamen a monachis non suscipiantur.

PL 143 819; IL 4352.

100.

1058, *in mense Martii. Stephanus X Hugoni abbati mon. Cluniacensis. Privilegium pro omnibus monasteriis Cluniacensibus (Cluny, d. Mâcon).*

Nec quovis modo quicunque episcopus seu archiepiscopus locum ipsum vel monachos ejus excommunicare vel judicare audeat, sed semper sub tutela et immunitate Romanae sedis

soliusque Romani pontificis judicio consistentes omnipotenti Deo securi et quieti deserviant.

PL 143, 884; IL 4385. — Praecedens privilegium a Leone IX a. 1049, Iun. 12, concessum nondum speciale quid de interdicto continet, sed tantum generaliter dicit: « Ne scil ullus mortalium, sive sit Imperator, sive Rex, sive Dux seu Marchio, vel Archiepiscopus vel episcopus aut aliqua alia humana potestas super idem Cluniacense Monasterium aliquam in aliquo potestatem exercere praesumat ». *Bibl. Cluniac.* 1825.

101.

1060, *April. 15. Nicolaus II clericis canonice viventibus in abbatia S. Petri in urbe Agerensi (Ager in Catalonia, Hispan.).*

... ut nulli episcopo liceat praefatae ecclesiae divinum officium prohibere, aut de clericis ibidem commorantibus quemquam excommunicare, aut aliquos causa conversionis poenitentiae ad eum venientes vel divinum officium audituros vel ibidem remansuros, ab ea separare, aut interdicere, vel quoquomodo laedere, quatenus perturbatione omni remota in nullo impediantur canonice viventes, nisi forte, quod absit! contra canonica instituta in suum episcopum aliquid facient, unde hoc perpeti debeant. Et volumus nos, et auctoritate apostolorum principum Petri et Pauli firmiter jubemus, ut omnes ecclesias, cellas, et praedia praefatae ecclesiae omnium, quae modo habet, et habitura est in perpetuum quiete habeat et possideat, et nulli ecclesiae suae sine culpa clericorum contra jussa canonum divinum officium prohibeatur, aut excommunicetur.

PL 143, 1338; IL 4432.

102.

1061, *April. 27. Nicolaus II Oderico abbati monasterii S. Trinitatis Vindocinensis, O. S. B. Cluniac. (Vendôme).*

Hoc etiam, freti fiducia apostolicae auctoritatis, prohibemus, ne in Vindocinensi coenobio, seu in predicta S. Salvatoris ecclesia, ulli unquam personae, nisi soli papae liceat potestatem aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere, etiamsi Carnotensis seu Andegavensis patria excommunicata fuerit aut

interdicta; excommunicatos tamen non suscipiant.... Praeterea notum esse volumus sanctae Dei ecclesiae fidelibus, et huic nostrae confirmationi adnectendum, quod Theodericus Carnotensis (Chartres) episcopus, in cujus dioecesi supradictum monasterium Vindocinense situm noscitur, Clementis (1046-47) papae praesentiae suam transmiserit epistolam, rogans eum, quatenus monasterium ipsum sic sua roboretur auctoritate, ut nulli successorum suorum post eum res hujus loci auferre vel minuere, vel excommunicare, sive interdicere, vel potestatem aut dominationem in ipso loco exercere liceret, seu quolibet modo rectorem loci vel fratres inquietare audeat, quod benigne Clemens papa annuit, et nos nostra auctoritate dignum annuere censuimus.

PL 143, 1354; IL 4458.

103.

1061, *Mai 16, Nicolaus II monasterio Aureliacensi (Aurillac dioec. Clermont).*

Statuimus etiam hoc, ut nullus episcoporum aliquo titulo habeat licentiam excommunicandi ipsum locum aut cellas sibi subjectas, scilicet S. Mariae Soliaco..., praeter papam sanctae Romanae ecclesiae...

Pflugk-Harttung I 35 nr. 36, ubi circa genuinitatem documenti dubia moventur; IL 4467; cf. privilegium Alexandri II a. 1068, Mai 14, quod eisdem verbis conceditur, vide infra.

104.

1062, *Dec. 27. Alexander II Bonizo abbati monasterii Benedictin. S. Severi in Classe (Ravenna).*

Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam praeterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia parochialium ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

...auctoritate apostolica inhibemus, ut in vos vel clericos vestros, aut in ecclesias vestras excommunicationis vel interdicti sententiam absque manifesta et rationabili causa nullus promulget.

PL 146, 1429; IL 4492. Documentum spurium, partim ex bulla Alexandri III desumptum, ut putat *Loewenfeld;* contra *Kehr* affirmat hoc spurium saec. XIII confectum esse ope diplomatis Gualterii archiepiscopi Ravennatis a. 1128 et privilegii Lucii III a. 1184, Apr. 27. Cf. *Italia Pontif.* V 107.

105.

1062. *Alexander II Tegrino episcopo Massano (Etruria).*

Audivimus Hugonem, Radulfi comitis filium Dodonem Rosellanum episcopum cepisse, et in captionem triduo, nulla culpa promerente, retinuisse. Quod quam sit impium et humanis ac divinis legibus interdictum, videlicet manum in christum Domini mittere et pupillam oculi Domini tangere, fraternitatem tuam non credimus ignorare. Unde apostolica tibi auctoritate precipimus, ut ipsum Hugonem ab omni divino officio submoveas, sibique omnibusque suis ecclesiis, que in tua dyocesi sunt, et ecclesiasticum ministerium interdicas.

Loewenfeld, Ep. Rom. Pont. ineditae, 41; IL 4485; *Italia Pontif.* III 270.

106.

1063, *April. 17. Alexander II clericis canonice viventibus in ecclesia S. Petri in Agerensi castro (Ager in Catalonia, Hisp.).*

...et nulli episcopo liceat prefate ecclesie divinum officium prohibere aut de clericis ibidem commorantibus quemquam excommunicare aut sui officii prohibitione perturbare aut aliquos causa conversionis penitentie ad eam venientes vel divinum officium audituros vel ibidem permansuros ab ea separare aut interdicere vel quoquo modo ledere, quatinus perturbatione omni remota in nullo impediantur canonice viventes, nisi forte, quod absit, contra canonica instituta in suum episcopum aliquid faciant, unde hoc perpeti debeant. Et volumus nos et auctoritate apostolorum principum Petri et Pauli firmiter iubemus, ut omnes ecclesias et cellas et predia prefate ecclesie et omnia, que modo

habet et habitura est in perpetuum quiete, ut supra legitur, habeat et possideat et nulli ecclesie sue sine culpa clericorum contra iussa canonum divinum officium prohibeatur aut excommunicetur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien (1926), I. Katalanien, 268; Bulla privilegium Nicolai II, d. 15. Apr. 1060, ad verbum fere repetit, cf. supra. IL -

107.

1063, *Mai 8. Alexander II Odrico abbati monasterii S. Trinitatis Vindocinensis, Cluniac. (Vendôme).*

Neque illud omittendum est, magis autem huic nostrae confirmationi adnectendum, quod Theodericus Sanctae Mariae Carnotensis (Chartres) Ecclesiae episcopus, in cujus dioecesi praedictus Vindocinensis locus situs noscitur, Clementi papae epistolam suam transmiserit, rogans eum quatenus hic locus, consilio ejus et voluntate beato Petro oblatus, tali per eum corroboraretur auctoritate, ut neque illi, neque successoribus suis hujus loci rebus vim vel calumniam inferre, sive de his quidquam subtrahere, vel pro qualicunque causa excommunicare sive interdicere, seu quamlibet potestatem aut dominatione in ipso loco exercere liceret, vel qualibet occasione rectorem loci vel fratres molestare praesumeret. Quod benigne Clemens (II 1046-47) papa annuit et sua auctoritate firmavit. Et nos nostra auctoritate dignum annuere censemus, et perpetuo anathemate praedicti episcopi damnamus successorem his praeceptionibus refragantem, et calumniam inferre tentantem, donec resipiscat et Romanae Ecclesiae satisfaciat.

PL 146, 1292; IL 4512.

108.

1063, *Mai 15? Alexander II Hugoni abbati Cluniacensi (Cluny, d. Mâcon).*

Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione, ut isdem locus sub nullius cujuscumque Episcopi vel Sacerdotis deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis vel anathematis vinculo. Non enim patitur sanctae sedis Apostolicae auctoritas, ut nullius cujuscumque personae obligatione proscindatur

a se cuilibet concessa liberalis libertas: neque ipsius loci fratres ubicumque positi, cujuscumque Episcopi maledictionis vel excommunicationis vinculo teneantur adstricti. Inhonestum enim nobis videtur, ut sine nostro judicio a quoquam anathematizetur s. sedis Apostolicae filius, veluti cujuscumque subjectae Ecclesiae filius.

Bibl. Cluniac. 507; IL 4513.

109.

1063. *Alexander II clero et populo Wapincensi (Gap-Francès).*

Sciatis, nos Ribertum, invasorem ecclesie vestre, vinculo excommunicationis innodasse et a communione sancte ecclesie separasse. Insuper etiam in tota parochia vestra omne ecclesiasticum officium preter baptismum apostolica auctoritate interdicimus, ita ut nec etiam mortuis officium aliquod inpendatur, donec de medio vestrum predictum iniquitatis virum ejeceritis et alterum dignum et idoneum elegeritis.

Loewenfeld, Ep. Rom. P. ineditae 44; IL 4536.

110.

1063. *Alexander II Raibaldo Arelatensi* (*Arles*) *archiepiscopo.*

Noveritis, nos Robertum, a predecessoribus nostris juste depositum, a communione sancte ecclesie separasse et in tota parohechia (sic cod.) Vapincensi omne ecclesiasticum officium preter baptismum interdixisse, donec Ribertus expulsus fuerit et alter dignus et idoneus eligatur.

Loewenfeld, Ep. R. P. ined. 44; IL 4537.

111.

1064. *Alexander II Gervasio Remensi* (*Reims*) *archiepiscopo et suffraganeis.*

Si quod officii vestri est exequeremini, non abbatem, sed maleficum Reginaldum, a Petro Ostiensi episcopo, et a vobis in conciliis justa ratione, ut nobis relatum est, condemnatum, ab ipso sancti Medardi, quod simoniace invasit, coenobio penitus

eliminaretis. Quod si causa cupiditatis, aut amore vel timore alicujus potentis personae explere renuistis: haec omnia Dei Omnipotentis timore praeposuistis, et nullum dispersis monachis solatium regrediendi praebuistis. Quapropter ejusdem Rainaldi malitia magis multiplicatur et crescit. Haec vero idcirco mandare curavimus, quia ex iisdem dispersis monachis quidam ad nos venerunt flentes et ejulantes; alii litteras direxerunt lamentabiles, justitiam S. Petri, nostramque consolationem pro tali injustitia requirentes. Unde supradicti Petri vestramque nostra auctoritate corroborantes sententiam; eumdemque Rainaldum, et consentaneos ejus anathematizamus; ipsumque coenobium, quamdiu in eo manserit, interdicimus: et ut idem faciatis, vobis mandamus.

Mansi XIX 958 s; IL 4548.

112.

1065. *Alexander II Gervasio Remensi archiepiscopo.*

Monemus fraternitatem tuam, ut regem et principes Francorum alloquaris, quatinus eorum potentia ab invasione sancte Carnotensis aecclesiae episcopus dictus separetur; quod si fortasse ad hoc exequendum minus exarserint, non solum episcopatus tui, verum etiam suffraganeorum tuorum episcoporum clericis cujuscumque ordinis omne divinum officium preter baptismum et consignationem puerorum interdicere non differas.

Loewenfeld, Ep. Rom. Pont. ineditae, 50; IL 4573. Eadem epistola simul ad Rigerium archiep. Senonensem missa est. IL 4574.

113.

c. 1066. *Alexander II Froterio episcopo Nemausensi* (*Nîmes*).

Temeritatis tue percepta cognitio stupentibus nobis non mediocris facta est commotio. In qua audatia non nostra sed ipsorum apostolorum tanta visa est despectio, ut nec in re sua valeret eorum religio. Consecrationis namque gratia, per te invide obstricta, auctoritate postmodum apostolica abbati monasterii sancti Aegydii concessa, ipsum abbatem Beraldum et monasterium excommunicationis dampnationis audivimus te ligasse, nec reverentia sancte Romane ecclesie erubuisse, nec aliquam aposto-

lice sedis audientiam expectasse. Absoluto itaque ex nunc predicto sancti Egydii monasterio et abbate, circa festivitatem sancti Martini ambos auctoritate apostolica ad nostram audientiam convocamus, ut, utrimque causa cognita, justicia litem compescamus.

Pflugk-Harttung I 36 nr. 37, ubi haec epistola anno c. 1061 ascribitur; IL 4602.

114.

1067, *Oct. 18. Alexander II Sancio (Sancho) episcopo et abbati monasterii S. Salvatoris, O. S. B. (San Salvador de Leire, d. Pamplona).*

Ad cumulum ergo perfecte libertatis decernimus, ut jam sepefatum monasterium vel relique basilice sive etiam clerici ad eum pertinentes non nisi exigentibus propriis culpis excommunicentur aud a divino officio suspendantur, licet tota in circuitu provincia excommunicationis videatur nodo ligari. Si quem sane ex nobilibus vel ignobilibus eiusdem ecclesie familiaribus tempore excommunicationis contigerit infirmari, reconciliari illum et communicari vel, si oportuerit, sepeliri etiam iubemus.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 257. Documentum falsificatum, quod in processu coram curia Romana inter abbatem S. Salvatoris et episcopum Pampilonensem agitato inservivit, sed jam tunc tamquam falsum recognitum est. IL - — Monasterium Leirense, caput congregationis 72 monasteriorum, per longum tempus libertatem et exemptionem a jurisdictione episcopi Pampilonensis obtinere conatum est, quae ei semper denegabatur — fortasse ex rationibus politicis reges Navarrae respicientibus. E contra vicinum monasterium S. Iohannis de Penna in regno Aragoniae jam 1071 ab Alexandro II precibus Sancii (Sancho Ramírez) regis exemptionem a jurisdictione episcopi Oscensis (Jaca-Huesca) assecutum est (IL 4691), quam postea Gregorius VII et Urbanus II confirmaverunt. Monasterium S. Salvatoris Leirense in suis conatibus obtinendi exemptionem varias Bullas confictas ad probandum se jam primitus privilegium exemptionis recepisse adhibuit, sed frusta, quia falsificationes iteratis vicibus Romae per diligentem inquisitionem documentorum detectae sunt. Ita monasterium episcopo Pampilonensi subiectum mansit et tandem ab Innocentio III d. 21. Iun. 1198 privilegium libertatis ab interdicto impetravit. De his quaestionibus multum scriptum est, Kehr de litteratura sat extensa l. c. p. 33-34 refert.

115.

1068, *Mai 14. Alexander II monasterio Auriliacensi (Aurillac)*

Statuimus etiam hoc, ut nullus episcoporum aliquo modo habeat licenciam excommunicandi ipsum locum aut cellas sibi subjectas, scilicet S. Mariae Soliaco...

Pflugk-Harttung I 44 n. 43, qui putat privilegium nr. 95 supra Nicolao II 1061, Mai 16, adscriptum fortasse secundum exemplar hujus bullae falsificatum esse; IL 4649.

116.

1068. *Alexander II Lanfranco abbati monasterii S. Stephani Codomensis, O. S. B. (Saint-Etienne, Caen, d. Bayeux).*

... et hac praesentis privilegii nostri pagina statuimus, ut Baiocensis episcopus, pro qualibet abbatis vel monachorum culpa, praefatum monasterium non praesumat excommunicare, vel divinum in eo officium prohibere.

PL 146, 1340; IL 4644.

117.

1071, *Oct. 18. Alexander II Grimmaldo abbati monasterii S. Victoriani, O. S. B., in Suprarиia provincia (San Victorian, Sobrarbe).*

Ad haec disponimus et constituimus, ut iam sepefatum monasterium aut sibi subiecte congregationes nunquam pro excommunicatione circaiacentis provinciae nisi propriis culpis exigentibus excommunicetur aut a divino officio suspendatur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 263; hoc privilegium rogante Sanctio rege (Sancho Ramírez) et intervenientibus Hugone Candido cardinale legato et Aquilino abbate monasterii S. Iohannis Bapt. de Penna (San Juan de la Peña) obtentum est, ut in documento refertur; IL 4764.

118.

1072. *Nov. 9. Alexander II Guilelmo abbati monasterii Floriacensis, O. S. B. (Fleury, St.-Benoit-sur-Loire).*

Quod si peccatis habitatorum terrae exigentibus, excommunicationis anathema ad eos pervenerit, id privilegium eidem

monasterio indulsimus, ut fratres ejusdem congregationis, exclu sis aliis omnibus, ipsi absoluti divinum officium peragant.

PL 146, 1376; IL 4708.

119.

1061-73. *Alexander II clero et populo Tricastinensis (St.-Paul-Trois-Chateaux) et Arausicae (Orange) civitatis.*

Admonemus vos, charissimi filii, ut fratri nostro Giraldo, pastori et episcopo vestro, dignam obedientiam exhibeatis, et quia divina dispositio eum custodem animarum vestrarum ponit, hortamur vos, ut in omni pace et concordia sub ejus regimine indissolubili charitate persistatis, et eum cum omni reverentia in patrem et proprium colatis episcopum. Illudque apostolica auctoritate vos monere destinavimus, ne quis vestrum in hoc consilio aut facto consentiat, ut Bertrannus, vel aliquis mortalium Arausicanam ecclesiam ab unitate Tricastinae ecclesiae dirimat, aut in aliqua parte constitutionem sanctissimi Patris nostri Gregorii, qui utrasque ecclesias coniunxit et univit, corrumpat et minuat. Scientes quod omnis, qui in hac divisione, consilio aut facto commiscetur, a parte B. Petri et nostra apostolica auctoritate excommunicatur, et divinum officium penitus interdicitur.

PL 146, 1384; IL 4710. Textus hujus et sequentis decreti accuratius editus est: Gallia Christ. Novissima VI (1916) 29 nr 50, 51.

120.

1061-73. *Alexander II Bertrando filio Raimbaldi.*

Si vera sunt, quae te conari intelleximus, nec salutem animae tuae, sed ad perpetuam dannationem tuam te ejectum esse perpendimus; videlicet domini nostri Gregorii papae statuta et ordinationes summopere labores infringere, et Arausicanam Ecclesiam, quam ipse justissima consideratione Tricastinae Ecclesiae conjunxit, et unum episcopatum esse constituit, die nocteque inde evellere studeas et separare; nec Geraldum utriusque urbis episcopum eandem Ecclesiam Arausicanam patiaris in pace, sicut episcopum oportet, tenere et regere praefatum, ac si praedictae Ecclesiae non tam antiqua constitutione et auctoritate domni

Gregorii ad unius episcopatus continentiam copulatae et unitae fuissent. Propterea ex parte sancti Petri et nostra monemus ne praedictam Arausicanam Ecclesiam amplius a Tricastina Ecclesia separare praesumas, sed praedictum Geraldum episcopum episcopali jure et providentia juxta constitutiones sanctissimi patris Gregorii eam Tricastinensi Ecclesiae conjunctam regere et gubernare permittas. Quod si non feceris, scias te et omnes in hac causa tibi consentientes ex parte beati Petri et nostra excommunicatos esse, et omne divinum officium per totam terram tuam suspendi decrevimus.

PL 146, 1385; IL 4711.

121.

1072, *Mai 3. Alexander II Elliardi abbatissae monasterii S. Petri in suburbio Barchinonensi (San Pedro de las Puellas, O. S. B. Barçelona-Sarriá).*

... nec alicui liceat monasterium iniuste excommunicare aut exconciliare, salva auctoritate Romane ecclesie.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, I. Katalanien, 270. Privilegium interventu abbatis mon. S. Michaelis, O. S. B (San Miguel) obtentum est. IL -

122.

1073, *Dec. 4. Gregorius VII Roclino episcopo Cabillonensi (Chalon-sur-Saône).*

Inter ceteros nostri hujus temporis principes, qui ecclesiam Dei perversa cupiditate venundando dissiparunt et matrem suam, cui ex dominico precepto honorem et reverentiam debuerant, ancillari subiectione penitus conculcarunt, Philippum regem Francorum Gallicanas ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, ut ad summum tam detestandi hujus facinoris cumulum pervenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus molestius, quanto et prudentia et religione et viribus noscitur fuisse potentius et erga Romanam ecclesiam multo devotius. Et nos quidem tam generalis nostre cura sollicitudinis quam ipsarum destructio ecclesiarum vehementer accenderat, ut in tam audaces sancte religionis excessus severius animadvertere

deberemus. Sed quoniam anteactis diebus per familiarem suum, cubicularium videlicet Albericum ad nostri censuram iudicii et vitam corrigere et ecclesias ordinare firmiter nobis respondit, rigorem canonicum interim exercere distulimus. Huius ergo promissionis fidem in Matisconensis ecclesia pastoris regimine diu desolata et ad nihilum pene redacta in primis volumus experiri, ut scilicet Augustudunensem archidiaconum (Autun, Landricus) unanimi cleri et populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus, regis assensu electum episcopatus dono gratis, ut decet, concesso ecclesie prefici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc ecclesie ruinam nequaquam diutius toleraturos et ex auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli duram inobedientie contumaciam canonica auctoritate cohercituros. Nam aut rex ipse repudiato turpi symoniace heresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem christianam abicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt.

Hec ideo, frater karissime, vigilantie tue intimare curavimus, quatinus ea predicto regi insinuare et exhortando et rogando modisque omnibus inculcare studeat, ut et prefatam Matisconensem aliasque ecclesias canonice concedat ordinari. Tibi ergo maxime hec idcirco iniungimus, quia prudentiam tuam magnam esse et regia familiaritate uti cognovimus. Si qua autem, que dicenda erant, a nobis pretermissa sunt, hec ingenii tui acumen iniungat. Itaque in hac prosecutione labora, ut et Dei gratiam et nostram benivolentiam promerearis.

MGH, Epist. sel. Tom. II Fasc. I, *Gregorii VII Registrum*, Lib. I 35 pag. 56s, ed. *E. Caspar*, 1920; I L 4807. — In sequentibus textus e Reg. Greg. semper sec. editionem Caspar referentur.

123.

1074, *Mart. 22. Gregorius VII Froterio episcopo Nemausensi (Nîmes).*

Audivimus olim nostri tempore predecessoris ven. mem. Alexandri te contra justitiam monasterium S. Egidii (St.-Gilles), ... affecisse injuriis... Nihilominus quoque nobis displicet, quod

quasi de integro tibi licentiam usurpas prefatum excommunicandi coenobium, cum hoc tibi non licere hujus sancte sedis auctoritas autenticorum testetur in datione privilegiorum. Quapropter precipiendo rogamus, et rogando precipimus, [ut] nullius etiam sub obtentu occasione justitiae, sive excommunicando, sive missas celebrando, fratres predicti coenobii presumas inquietare.

Greg. VII *Registrum* I 68 p. 98; IL 4846.

124.

1074, *April. 4. Gregorius VII monasterio S. Mariae Pinerolensis, O. S. B. (Pinerolo, Piemonte, hodie Abbadia Alpina vocatur).*

... neque etiam subditas praedicto loco ecclesias, ubicumque sint, excommunicare, vel interdicere cuiquam liceat, nisi apertis pro culpis et quas Vindocinensis abbas et fratres canonice ab ipsis episcopis admoniti emendare contempserint...

Praeterea notum esse volumus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, et huic nostrae confirmationi adnectendum, quod Theodericus Carnotensis episcopus in cujus diocesi supradictum Vindocinense (Vendôme) monasterium situm noscitur, Clementis papae praesentiae suam transmiserit epistulam, rogans eum quatenus monasterium ipsum per illum sic sua corroboretur auctoritate, ut nulli successorum suorum post eum res hujus loci auferre vel minuere, vel excommunicare, seu interdicere, vel potestatem aliquam in ipso loco exercere liceret.

PL 148, 705; IL 5264 ad a. 1073-84; *Italia Pontif.* VI 2, 110.

125.

1074, *Mai 6. Gregorius VII Udoni episcopo Trevirensi. Hortatur eum, ut Virdunensem episcopum vice sua increpet de neglecta sedis apostolicae auctoritate eumque moneat ut monasterium S. Michaelis ad communionem restituat, in quo divinum officium fieri injuste interdixerat.*

... pariterque eum admonemus, ut praedicto loco communionem sacrosancti et divini misterii reddat. At si ille haec nostra parte procuranda monita adimplere spreverit, tibi injungimus,

ut apostolica fultus auctoritate una cum confratribus tuis antesignatum locum ab omni interdictione et excommunicatione absolvas et eadem auctoritate presbiteris ibidem consistentibus ad celebrandum divinum officium roboratis, episcopum ut nobis... respondeat... commoneas.

Greg. VII *Registrum* I 81 p. 115 s.; I L 4869.

126.

1074, *Sept. 10. Gregorius VII episcopis Francorum. Regni Franciae calamitates et regis nefanda scelera narrat. Increpat episcopos de eorum contra hujusmodi scelera taciturnitate. Mandat ut omnes simul congregati regem admoneant.*

Quod si vos audire noluerit... apostolice animadversionis gladium nequaquam eum diutius effugere posse quasi ex ore nostro sibi notificate. Propter quod et vos apostolica auctoritate commoniti... ab ejus vos obsequio atque communione penitus separantes per universam Franciam omne divinum officium publice celebrari interdicite. Quodsi nec hujusmodi districtione voluerit resipiscere, nulli clam aut dubium esse volumus, quin modis omnibus regnum Francie de ejus occupatione adjuvante Deo temptemus eripere. Sane si in hoc tanto tamque necessario negotio tepidos vos cognoverimus, non jam amplius dubitantes, quin vestra fiducia fultus incorrigibilis perduret, vos ipsos sicut socios et complices scelerum ejus episcopali privatos officio pari vindicte jaculo feriemus.

Greg. VII *Registrum* II 5 p. 129 ss.; IL 4878.

127.

1075, *April. 9. Gregorius VII Cuniberto episcopo Taurinensi. Mandat ut monasterio S. Michaelis Clusini (S. Michele della Chiusa) nullam injuriam inferat.*

Interim vero eadem auctoritate precipimus, ut neque vocando ad synodum nec aliquo interdictu, denique nullo umquam vexationis modo... inquietare presumas, et quos anathematis vinculo... alligasti,... ut et tu eos absolvas, locum tibi et monita damus.

Qua in re si... obedire renueris, nostra apostolica auctoritate eos absolutos et ab omnibus interdicti vel excommunicationis tue nexibus liberos esse noveris.

Greg. VII *Registrum* II 69 p. 226 ss.; IL 4951; *Italia Pontif.* VI 2, 124.

128.

1075, *Dec. 6. Gregorius VII monasterio sanctae et individuae Trinitatis Vindocinensi* (*Vendôme*).

Hoc etiam divina fulti fiducia, apostolica auctoritate prohibemus, ne in Vindocinensi coenobio, seu in praedicta S. Salvatoris ecclesia, nulli unquam personae nisi soli papae liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere, etiamsi Carnotensis vel Andegavensis patria excommunicata fuerit aut interdicta, excommunicatos tamen monachi non suscipiant.

PL 148, 729; IL 4967. Documentum dubium!

129.

1076, *Febr. 14-20. Gregorius VII in synodo Romano quadragesimali.*

Viennensem episcopum Herimannum juste depositum pro simonia, perjuriis, sacrilegiis et apostasia, quia Viennensem ecclesiam infestare non desistit, excommunicamus. Et ecclesiis Romanensi (Romans, St. Barnard) et sancti Herenei Lugdunensi, quousque eas occupaverit, divinum interdicimus officium.

Greg. VII *Registrum* III 10 a p. 268 ss.

130.

1077, *Febr. 11. Gregorius VII Benedicto abbati monasterii B. Mariae et S. Claudii Fraxinoriensis (Frassinoro, Modena).*

De cetero nullam sibi (scil. episcopo) amplius in monasterio potestatem concedentes sive abbatem ad sinodum convocandi seu monasterium vel inhabitantes fratres excommunicandi aut

interdicendi, verum si quid indignum et reprehensibile de eis certe cognoverit, benigne eos de sua emendatione commoneat.

Paul Kehr, Papsturk. in Reggio nell'Emilia; Nachrichten d. G. Göttingen, phil. hist. Kl. (1897) 226. — In documento originali quarta pars deest, in qua nomen quoque monasterii scriptum erat. Formulas Kehr supplevit ex documento monasterii S. Mariae de Buttrio (IL 5268). Meyer von Knonau censet documentum fortasse ad ecclesiam Canusinam et monasterium S. Apollonii pertinere. Plura vide Kehr l. c. — Nunc Kehr certo affirmat privilegium datum esse monasterio Fraxinoriensi, cf. *Italia Pontif.* V 324. IL -

131.

1078, *Mart. 10. Gregorius VII Christoforo abbati monasterii O. S. B. S. Petri in Cremona.*

De cetero, nullam amplius episcopus in predicto monasterio potestatem habeat neque excommunicandi aut interdicendi aut ad sinodum vocandi.

Pflugk-Harttung III 15 nr. 15, qui cum aliqua haesitatione documentum tamquam genuinum considerat; IL suppl. reg. 5069 α; *Italia Pontif.* VI 1, 287.

132.

1078, *Nov. 19. Gregorius VII in synodo Romano autumnali.*

V. Comes sancti Egidii (St. Gilles) excommunicetur propter uxorem.

VI. Et idem monasterium, si fuerit in potestate comitis.

Greg. VII *Registrum* VI 5 b p. 401. IL -

133.

1078. *Charta Petri Albanensis episcopi, Legati et Cardinalis Romani, de immunitate Cluniacensi. Narrat quomodo Gebuinus episcopus Lugdunensis et Landricus ep. Matiscensis (Mâcon) privilegia Cluniacensia injuste violaverint. Hugo abbas Cluniacensis monasterii propterea Hugonem Priorem Romam ad Gregorium VII*

misit, cujus jussu deinde Petrus Cardinalis Cluniacum profectus est:

Quique veniens post multos labores et sudores in jam dictum locum in die Purificationis B. Mariae, tam in Capella ejusdem gloriosae Virginis, quam in Monasterio sermone perorato, auctoritatem Pontificum Romanorum per privilegia huic loco attributa publice corroborans, manifestavi: Capellas et Capellanos, quos contra eadem Romana privilegia Matiscensis episcopus excommunicaverat, absolvi: et si deinceps aliqua praesumptione excommunicaverit, cum facere nullo modo possit, ne quisquam id observet, vel inde curet, omnes astantes commonefeci.

Deinde Legatus ab episcopo Matiscensi postulavit, ut satisfactionem praestaret:

Qui super hoc diu multumque conventus, cum neutrum facere vellet, obstinatia sua exigente, a Pontificali et Sacerdotali officio usque ad presentiam domni nostri Gregorii papae, cujus auctoritatem spernebat, eum suspendimus.

Ad ultimum Petrus Legatus Episcopum Lugdunensem monuit, contra quem, quia oboedientiam recusavit, sententiam promulgavit:

Quoniam frater noster Geboinus Lugdunensis Archiepiscopus, nec fraternae caritatis consilio, nec equitatis rationi, nec Apostolicis domni mei beatissimi papae Gregorii, cujus vice indigni fungimur, decretis et praeceptis vult acquiescere et obedire, ut Ecclesias Cluniacensis Coenobii, quas injuste excommunicasse videtur, secundum tenorem impositae nobis legationis velit absolvere... Ideo nos necessitate coacti, auctoritate beatorum Petri et Pauli, sicut nobis injunctum est, supradictas Ecclesias absolvimus. Si vero idem Archiepiscopus ira commotus, easdem Ecclesias, sive Capellanos eorum injuste interdicere presumpserit, talem interdictionem et excommunicationem irrita esse decernimus. Poliacum autem (Poilliacum, in Foresio, d. Lugdun.) quia sine canonico judicio, violenter ejectis monachis, a Cluniacensi Monasterio per injustam expoliationem ablatum et abstractum est, Apostolicae aequitatis concessione Cluniacensi coenobio reddimus. ... Sanctimonialibus quae praedictum Poliacum invaserunt... praecipimus, ut... restituant.... Et ne in eadem Poliaci

ecclesia, quamdiu ipsae Sanctimoniales ibidem remanere praesumpserint, divinum officium celebretur, Apostolica interdictione prohibemus...

Bibliotheca Cluniacensis 511 ss.

134.

1079, *Iuli 4. Gregorius VII Bernardo abbati monasterii sancti Victoris (Marseille).*

...nec quovis modo quisque episcopus seu archiepiscopus locum ipsum seu capellas supradictas videlicet sancti Petri et s. Andreae et s. Ferreoli, vel presbiteros ab abbate ibi constitutos vel monachos ipsius monasterii excommunicare vel judicare audeat, sed semper sub tutela et emunitate Romana soliusque Romani pontificis judicio consistentes, omnipotenti Deo quiete et securi deserviant.

Guérard, Cartulaire de l'abbaye de St.-Victor de Marseille, p. 220 nr. 843; IL 5134.

135.

1080, *Mart. 26. Gregorius VII Huberto episcopo Tarvannensi (Térouanne). Praecipit ut coram Huberto episcopo Diensi, legato apostolicae sedis, se praesentet et de multis sibi objectis criminibus respondeat. Ejus canonicis qui villam quandam usurpaverant divinum officium interdicit.*

Preterea omne divinum officium omnibus canonicis de castro sancti Pauli (St. Pol) te solo interim usque ad audientiam excepto interdicimus et ipsis et locis eorum, quousque prephatam villam cum ecclesia et aliis suis pertinentiis canonice ecclesie sancte Marie et s. Audomari restituerint et coram Huberto Diensi episcopo de inobedientia et excommunicatione satisfecerint. Et nisi tu statim visa preceptione nostra predictis canonicis tuis et omnibus locis eorum et precipue, ubi canonici denominati sunt, omne divinum officium interdixeris, omne officium tuum auctoritate apostolica tibi interdictum noveris.

Greg. VII *Registrum* VII 16 p. 490 s.; IL 5157.

136.

1080, *April. 12. Gregorius VII Willelmo Auxiensi (Auch) archiepiscopo. Arguens eum inobedientiae praecipit ut cogat abbatem Pezanensem (Pessan) restituere abbati Petro Aureliacensi (Aurillac) ecclesiam Sanctae Mariae Dalmairaci (Ste. Marie d'Almayrac), quam injuste invaserat.*

Quodsi forte spiritu superbie induratus acquiescere noluerit, et monasterio illi, quod invasum est, divinum officium, et invasori nostra auctoritate omnis ecclesie interdicas introitum. Nam non inter religiosos monachos sed nec inter laicos debet annumerari, qui sacrilegium perpetrare non timet.

Greg. VII *Registrum* VII 18 p. 493; IL 5161.

137.

c. 1080. *Richardus Cardinalis Legatus Sancio V. Navarrae regi (Sancho Ramírez).*

Richardus Cardinalis apostolicae sedis Legatus S. Regi venerabili salutem. A Domino notro papa in ecclesiis regni vestri, honorem, et gloriam ejusdem sanctae et universalis ecclesiae, postposita alia nobis ...multo sudore fideliter quaerebamus; sed nec per vestros circumlocutionum anfractus decepti a parte cognoscimus, quoniam plus hominum favorem, quam Dei timorem animarumque salutem in vestris operibus cupitis invenire. Nam salutem vestro consilio in populo commisso vos efflagitare credebamus; unde quia non ita apud vos est, colligentes, si qua vobis pro vestra caritate de qualibet specialiter persona promisimus, facturos nos deinceps proculdubio abnegamus: sed consulere aliter si potuerimus, satagemus. Excommunicationis sententiam, quam in Pampilonensi episcopatu, et hominibus ejusdem episcopi, quocumque loco fuerint, sive in expeditione contra hostes pugnaverint, sicuti in concilio episcoporum et abbatum apostolica auctoritate posuimus, iterum iterumque eadem auctoritate firmamus: vosque communionem cum Pampilonensibus excommunicatis usque ad festivitatem S. Iohannis, et hoc non in ecclesiastico officio, SS. apostolorum Petri et Pauli et nostra auctoritate, nullam deinceps habere praecipimus, donec habeant

electum in eadem ecclesia apostolica auctoritate firmatum. Interdicimus hoc modo, ut a festivitate S. Iohannis et deinceps mortui nullo modo sepeliantur, cum vivis scienter nullus christianam communionem habeat, nullumque divinum officium in ecclesiis fiat, praeter puerorum baptismum, si mortis vel languoris illos agitaverit periculum. Haec ideo facimus, quia conspirasse illos ad destructionem ecclesiae cum alteris regni vestri principibus videmus, quos adhuc nominatim non exprimimus, qui gladium S. Petri et virtutem S. Spiritus ad perpetuam infamiam et confusionem suam experientur. Ne confidatis in victoria, qui justitiam reliquistis, cum scriptum sit: Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis! De quo confidere possetis, si plus crescere regnum Dei quam vestram gloriam quaereretis. Quaeritis enim quae vestra sunt, non quae Iesu Christi. Et quia irritum fecistis mandatum Dei, et apostolicum praeceptum propter seductionis et... hominum animarum pereuntium sanguinem Deus a manu vestra requirat. Nos ergo exeuntes de civitate excutimus pulverem pedum nostrorum in testimonium super vos.

Martène et Durand, Vet. Script. ampl. Coll. I 497; *Mansi* XX 549; nuper *Paul Kehr*, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 265 hanc epistolam iterum publicavit eamque anno 1078 vel 1084 ascribit. Epistola legati ad regem Sancho Ramírez, qui a. 1076 regnum Navarrae adeptus brevi post fratri suo Garciae, episcopo Iacensi (Jaca) episcopatum Pampilonensem tradidit, directa est. Kehr discernere nequit utrum epistola hac occasione scripta sit, an potius a. 1084 occasione successionis Garciae. Notandum est Sanctium, qui in hac legati epistola acriter vituperatur, postea ab Urbano II in Bulla d. 19. Mart. 1095 ad omnes archiepiscopos, episcopos et proceres Hispaniae directa multum laudari; vocatur devotissimus beati Petri filius, monasterium S. Ioannis in Penna, ubi rex sepulturam sortitus est, speciali omnium reverentiae commendatur, l. c. 274.

138.

1073-85, *Mart. 14. Gregorius VII S. Paulo apostolo. Ecclesiae S. Pauli extra muros in via Ostiensi, Romae, privilegia concedit.*

Concedimus etiam tuae sanctae congregationi, ut nullus episcopus audeat quemque monachorum vel clericorum, per diversa

loca, ecclesias eidem sacratissimo tuo loco subiectas, excommunicare, vel ad synodum sine licentia sui praelati provocare.

PL 148, 727; IL 5200 ad a. 1081, Mart. 10; *Italia Pontif.* I 168, ubi Kehr adnotat: « Falsam hanc bullam esse Pflugk-Harttung, Iter Ital. p. 80 et Loewenfeld contendunt, sed nescio quibus rationibus innitantur. Interpolatam vero esse ego etiam concedo ».

139.

1081, *April. 18. Gregorius VII Richardo Cardinali abbati monasterii S. Victoris (Marseille).*

...nec quovis modo quisquam episcopus seu archiepiscopus locum ipsum seu capellas supradictas, videlicet s. Petri et s. Andree et s. Ferreoli, vel presbyteros ab abbate ibi constitutos vel monachos ipsius monasterii excommunicare vel judicare audeat.

Guérard, Cart. de l'abbaye de St.-Victor, p. 212 nr. 841; IL 5211; idem privilegium jam Bernardo abbati concessum erat, cf. 1079, Iuli 4.

140.

c. 1082-83. *Gregorius VII Hugoni archiepiscopo Lugdunensi (Lyon).*

Abbas presentium lator rettulit nobis, officium sibi ecclesieque sue a fraternitate tua esse interdictum, propterea quod loco ad justitiam inter ipsum et abbatem de Casa Dei (Chaise-Dieu, d. Clermont) discernendam constituto admonitus non interfuit; ad quem, sicut ipse dicit, venire non contempsit, sed propter discordiam, quae inter comites illius patriae fuit, non ausus est... Interim etiam dignum videtur et volumus, ut, nisi hoc ad justitiam exequendam impediturum esse pro certo cognoveris, officium sibi sueque ecclesie reddas.

Greg. VII *Registrum* IX 19 p. 599; IL 5246.

141.

1083. *Gregorius VII Flandrensibus episcopis Gerardo Cameracensi (Cambrai), Ratbodo Noviomensi (Noyon), Roriconi Ambianensi (Amiens). Comes Flandrensis excommunicato et deposito*

falso episcopo Tarvannensi (Térouanne) favit et ecclesiam violavit. Episcopi eum iterum monere debent.

Quod si litteras apostolicae sedis infra praescriptum terminum aliqua fraude aut superbia suscipere vel audire contempserit, non solum sibi non proderit, sed etiam pro majoris inobedientiae culpa divino judicio anathematis vinculis alligatum arctius indubitanter sciatis, et non solum eum, sed et omnes, quicumque ei postea scienter in ecclesiasticis officiis communicaverit vel ei in milicia seculari servierit. Quapropter rogo vos iterum et... precipio, ut vobis ab eo caveatis et nullum divinum officium intra vestras provincias agatur, ubi vel ipse vel aliquis scienter sibi communicantium affuerit, quousque per Dei pietatem satisfecerit.

Greg. VII *Registrum* IX 35 p. 627; IL 5248.

142.

1083. *Gregorius VII omnibus principibus et clero et populo.*

Quod in Romano concilio confirmavimus, hoc omni ecclesiae determinavimus.

XV. Ubicumque presbyter vel monachus vel peregrinus vel res eorum captae fuerint, statim excommunicetur receptum, unde factum vel ad quod ductum fuerit.

XVII. In castellis vel villis in quibus sunt monachorum monasteria, postquam presbyteri a divino cessabunt officio propter excommunicatos, monachi portas ecclesiae omnes claudant, nisi unam ex parte claustri, per quam ipsi intrent, nec eant tantum, et signa non sonent, ne forte eis divinum celebrantibus officium aliquis excommunicationis macula aspersus se ingerat.

Pflugk-Harttung II 126 nr. 162; IL 5260.

143.

1088, *Oct. 15. Urbanus II clero et populo sancti Iacobi (Compostell.).*

Auditum nostrum nuper ex partibus vestris rumor nefandissimus perculit, quod videlicet episcopo vestro [Didaco], capto et vinculis posito ac deposito, alium [Petrum] in loco ejus vobis

passi fueritis superponi; quod omni adversum justiciae pati nos minime credideritis, qui locum defendende justicie retinemus indigni. Tantum igitur facinus Deo canonibusque prorsus adversum ex Dei et canonum auctoritate cohibentes, vobis omnibus precipiendo precipimus, ne ullam ultra invasori illi obedientiam deferatis. Preterea omni jure ecclesie divina omnia officia interdicimus preter baptismum et consignationes infantum et penitentias et obsequia mortuorum; tandiu ab omnibus preter hec divinis misteriis abstinebitis, donec eductus e vinculis episcopus dignitati pristine restituatur, et sic coram nobis vindicandus et canonice disquirendus adveniat.

S. Loewenfeld, Epistolae Pontificum Romanorum ineditae (1885) p. 60; IL 5368.

144.

1088, *Oct. 29. Urbanus II Laurentio archispresbytero, praeposito ecclesiae collegiatae S. Agathae in Cremona.*

Si (scil. episcopi in quorum dioecesi ecclesiae vestrae sunt) excommunicationis aut interdictionis vobis molestiam inferre presumpserint, libertas vobis fuerit, pro Niceni statuto concilii sedem apostolicam apellare et sic ejus judicio satisfacere.

Paul Kehr, Nachrichten d. G. Göttingen (1902) 148; IL 5373 ad Nov. 1; *Italia Pontif.* VI 1, 279.

145.

1089, *Febr. 20. Urbanus II Richardo Cardinali abbati monasterii St. Victoris (Marseille). «Coenobium S. Servandi apud Toletum, quod rex Ildefonsus Rom. ecclesiae specialiter tradidit» Richardo regendum committit.*

Nulli autem episcopo aut archiepiscopo liceat locum ipsum vel ejus monachos vel ei circum subditas cellas, idest s. Petri et s. Andree et s. Ferreoli, presbyterosque aliosve clericos in eis ab abbate constitutos excommunicare vel judicare, preter ipsum abbatem aut ejus voluntatem; sed semper sub tutela et imunitate Romana soliusque Romani Pontificis judicio consistentes omnipotenti Domino quieti securique deserviant.

Guérard, Cart. de l'abbaye de St. Victor, nr. 839 p. 207; IL 5392.

146.

1089, *Mai 26. Urbanus II Raimundo abbati monasterii Sancti Salvatoris Leiorensis* (*San Salvador de Leire*).

Preterea decernimus, ut abbas nullatenus sine iuditio sedis apostolice deponatur et excommunicetur ipse vel fratres in eodem monasterio professi, aut etiam eorum clerici vel monasteria seu ecclesie sibi subiecte nunquam pro excommunicatione circaiacentis provincie nisi propriis culpis exigentibus excommunicentur aut a divino officio suspendantur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II Navarra und Aragon (1928) 268. Falsificatio! Falsarius textum partim ex privilegio monasterio S. Iohannis de Penna d. 4. Iul. 1089 (vide infra) concesso, partim ex privilegio Alexandri II d. 18. Oct. 1071, IL 4691, desumpsit.

147.

1089, *Iuli 1. Urbanus II monasterio Iesu Nazareni in Aragonia* (*Montaragón, Hispan.*).

Porro nulli episcopo liceat ejusdem Ecclesiae fratres, quos in Romanae ecclesiae filios speciali electione assumpsimus, excommunicare, aut divinum eis officium interdicere, sed sub sola sedis apostolicae protectione judicioque permaneant.

PL 151, 301; IL 5398.

148.

1089, *Iul. 1. Urbanus II Frotardo abbati monasterii S. Pontii* (*St.-Pons de Thomières O. S. B., sous-préf. de l'Hérault*).

Praeterea constituimus ut nulli episcopo liceat intra praefatum beati Poncii monasterium sine tua tuorumque successorum licentia missas publicas celebrare, aut ordinationem aliquam facere, aut ejusdem coenobii fratres, quos speciali dilectione in Romanae Ecclesiae filios assumpsimus, excommunicare, aut eis divinum officium interdicere; sed sub sola sedis apostolicae protectione judicioque liberi annuente Domino securique perma-

neatis. Ubicumque autem per excommunicatas ecclesias transierint, licentiam habeant, privatim, absque excommunicatorum consortio divina officia celebrare.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 516; IL 5400.

149.

1089, *Iul. 4. Urbanus II Aimerico abbati monasterii S. Iohannis de Penna O. S. B. in Aragonia (San Juan de la Peña).*

Preterea decernimus, ut abbas nullatenus sine iuditio sedis apostolice deponatur aut excommunicetur ipse vel fratres in eodem cenobio professi neque ipsi aut idem monasterium a divino offitio suspendatur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 271. IL -

150.

1089. *Dalmatius archiepiscopus Narbonensis Frotardo abbati monasterii S. Poncii Tomeriensis (Saint-Pons de Thomières, O. S. B., sous-préf. de l'Hérault). — Frotardus abbas instigante Sancio monacho monasteria S. Cucuphati et S. Laurentii de Monte (San Cugat et San Llorens del Munt, Catalonia) expulsis fratribus invaserat. Quaestio in synodo Narbonensi dijudicata est. Dalmatius postulat ut Frotardus mandata episcoporum, sicut promiserat, tandem exsequatur, Sancium in monasterio S. Poncii recludat et monasteria fratribus reddat; quod si non ante vigiliam Natalis Domini impleverit, graves incurret poenas.*

Interdicimus etiam ab eo die inantea omne divinum officium in monasterio sancti Poncii Tomeriensis et in omnibus locis tibi sibique pertinentibus et omnium christianorum sepulturam, donec humiliter satisfacias et ad dignam emendationem venias. Interim etiam quamdiu tui fuerint monachi in monasteri sancti Cucuphatis sanctique Laurentii, interdicimus eis omne divinum officium et, si neglexerint, eicimus eos a tregua Domini et pace.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, I. Katalanien, 275. — Frotardus, amicus Gregorii VII et Urbani II Romam recursum instituit. Complura hac de controversia documenta vide l. c. 276, 277, 279, 281, 282, 284, 288, 289 etc. Cf. sententiam judicialem d. 8. Iun. 1091, infra.

151.

1090. *April. 1. Urbanus II Hugoni episcopo ecclesiae Gratianopolitanae (Grenoble).*

Porro sanctorum canonum decreta ubique inviolabiliter conservari cupientes, constituimus atque censemus, ut interdictos a vobis aut excommunicatos in communionem recipere aut mortuos sepulturae tradere nemo praesumat.

Baluzius, Miscell. ed. Luc. III 8; PL 151, 320 s.; IL 5431.

152.

1090, *April. 6. Urbanus II fratribus Vallumbrosanis (Vallombrosa, Etruria).*

Nec ulli episcopo potestas sit excommunicationem aut interdictionem vobis ingeminare, ut qui in speciales estis filios apostolicae sedis, nullius alterius judicio temere exponamini.

PL 151, 322; IL 5433; *Italia Pontif.* III 88.

153.

1090, *April. 16. Urbanus II Bernardo abbati Majoris-Monasterii (Marmoutiers).*

Adjicientes et praecipientes ne quisquam deinceps archiepiscopus aut episcopus beati Martini Majus-Monasterium aut ipsius Majoris-Monasterii monachos pro ulla causa excommunicare praesumat; sed omnis eorum causa gravior ex Apostolicae Sedis judicio pendeat.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 521; IL 5435; regestum vide *Mabillon,* Annal. O. S. B. V 272.

154.

1091, *Iun. 8. Urbano II iubente ab Amato, archiepiscopo Burdegalensi et Legato, coram multis praelatis sententia judicialis de controversia monasterii S. Cucuphati statuitur. Frotardus abbas Tomeriensis monasterium, quod sui juris esse declaratur,*

usque ad festum Ap. Petri et Pauli revocatis monachis Tomeriensibus propriis monachis restituere debet.

Quod si ultra prelibatum terminum facere distuleriunt, inobedientes et interdicti Romane ecclesie et apostolice sedi erunt et ecclesie et persone ab omni divino officio privati in excommunicatione permanebunt.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, I. Katalanien, 284. Cf. supra decretum Dalmatii arch. Narb. de hac controversia, a. 1089. IL -

155.

1092, *Mai 7. Urbanus II abbati Guarino monasterii O.S.B. Sancti Laurentii Mart.* (*Aversa*, *Italia*).

Neque liceat alicui episcopo ipsum monasterium et cellas interdicere, aut excommunicare...

Capellanos, vel clericos qui ipsi monasterio aut ejus cellis deserviunt, excommunicari, vel ab officio suspendi, sive ad synodum provocari ab aliquo episcopo prohibemus.

Analecta Juris Pontificii X (1869) 529; IL 5466.

156.

1092, *Oct. 27. Urbanus II Raynaldo archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis. Reprehendit illos quod regem uxorem legitimam dimittere et aliam ducere passi sint. Praecipit ut moneant regem ut a delicto desistat.*

Eandem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis episcopi adhibete. Quod si monitis nostris, qui eum cepit, obtemperare contempserit, vos etiam ipsum excommunicationi subjicite, et castellis in quibuscumque eum retinuerit, et terrae ejus divinum officium interdicite, ne similia deinceps in viris hujus ordinis praesumantur.

Mansi XX 686; PL 151, 354; IL 5469.

157.

1094, *Mart. 14. Urbanus II Gaufrido abbati monasterii Vindocinensis* (*Vendôme*).

Praeterea praecipimus, ut tam Vindocinensis locus, quam praedicta secus Andegavum (Angers) Sancti Salvatoris ecclesia

sine Apostolicae Sedis licentia nullo modo excommunicetur aut interdicatur, etiam si forte contigerit Carnotensem aut Andegavensem patriam pro culpis quibuslibet excommunicari; ita tamen, ut excommunicatos ipsi non suscipiant. Neque etiam subditas ei cellas ubicumque sint, excommunicare vel interdicere cuiquam liceat, nisi certis pro culpis, quas Vindocinensis abbas et fratres canonice ab episcopo admoniti emendare contempserint.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 534; IL 5511.

158.

1094, *Mart. 31. Urbanus II Amato archiepiscopo Burdegalensi (Bordeaux) legato sedis apost., Petro Pictaviensi (Poitiers) et Ramnulfo Sanctonensi (Saintes) episcopis.*

Noverit dilectio vestra nos commonuisse Pictavensem comitem, ut quidquid Vindocinensi (Vendôme) coenobio abstulit, infra triginta dies, postquam litteras nostras susceperit, eidem loco restituat. Quod si obedire contempserit, eum sicut expoliatorem beati Petri ab Apostolica Sede excommunicatum agnoscatis. Vobis quoque praecipimus, ut quod in ipsum factum noscitur, minime taceatis; et universae terrae illius interdicatis omne divinum officium, excepto baptismate, et confessione eorum qui ei in sua malitia non consenserint. Vindocinense coenobium patrimonium beati Petri et sub Romanae Ecclesiae positum defensione, nemo vestrum dubitat: idcirco ejus injurias per nosmetipsos vindicare decrevimus. Et ne comes adversum nos occasionem inveniat.

Analecta Iuris Pontificii X (1896) 536; IL 5517.

159.

1094. *Urbanus II Durando Arvernorum (Auvergne) episcopo. Curet ut canonici Bibliomenses coenobium B. Lupi quod violenter invaserant, Cluniacensibus restituant.*

Si autem nostrae huic jussioni Bibliomenses canonici obedire contempserint, divinum iis officium interdicito, quoadusque resipiscentes Celsiniacensi (Sauxillanges) praeposito et fratribus quae diripuerunt restituant. Quod si episcopalis auctoritatis judicium

neglexerint, nostra se a divinis officiis auctoritate noverint interdictos, ut nec ipsi uspiam, nec alii in eorum ecclesia id exhibere praesumant, quoadusque haec a nobis praecepta perficiant.

Mabillon, Annales O. S. Bened. V 336; PL 151, 392; IL 5533.

160.

1095, *Febr. 18. Urbanus II monasterio S. Aegidii (St. Gilles). Raimundus, Tolosanus (Toulouse) comes, rapinam quam ex parentum invasione in altare S. Aegidii tenebat, monasterio in Tolosana synodo restituit. Urbanus confirmat hanc dimissionem et in futurum contra invasores speciales poenas statuit. Ejus epistola postea in concilio Placentino (Piacenza) relecta et confirmata est, addito:*

Isti omnes Archiepiscopi, Episcopi et Abbates in Placentina synodo residentes hanc dimissionis chartam praecepto Domini Papae laudaverunt et confirmaverunt, ac hujus dimissionis deinceps invasorem vel subreptorem perpetuo anathemati subdiderunt, et monasterium omne, si aliquando invasio accideret, ab omni divino officio interdicendo cessare jusserunt.

Baluz. Miscellanea II 177; PL 151, 399 s.; IL 5540.

161.

1095, *Mart. 16. Urbanus II Hugoni abbati Cluniacensi.*

Porro sicut a beatae memoriae papa Gregorio in Romana synodo, et a nobis nuper in Placentina statutum est, praesentis privilegii auctoritate decernimus, ut nulli sit archiepiscopo, nulli episcopo, nulli apostolicae sedis legato facultas, sine certo Romani pontificis praecepto, adversum vos aut vestrum coenobium excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam, neque vestra, vobis invitis, judicia ventilare.

Bibl. Cluniac. 516; IL 5551. — Privilegium Urbani II anni 1088, Nov. 1, nihil speciale de interdicto continet, sed generali modo dicit: «Cetera vero omnia quae antecessores nostri vestro Monasterio privilegia tradiderunt, nos quoque contradicimus atque firmamus». l. c. 514.

162.

1095, *Mart. 17. Urbanus II monasterio S. Michaelis Clusini* (*San Michele della Chiusa, dioec. Torino*).

Quod si episcopus pro hoc locum ipsum calumniari voluerit, et ecclesias vel aliquos, ad eundem locum pertinentes, excommunicare praesumpserit, ipsa excommunicatio annulletur et prememorate ecclesie et eorum omnia absolute ab imposita sibi excommunicatione apostolica auctoritate permaneant.

Pflugk-Harttung II 158 nr. 191; IL 5554; *Italia Pontif.* VI 2, 124.

163.

1095, *Mart. 16. Urbanus II archiepiscopis per Gallias Gothiam et Hispaniam. Commendat monasterium S. Poncii* (*Saint-Pons de Thomières, sous-préf. de l'Hérault*).

Vobis omnibus notum credimus, quod beati Poncii monasterium ab ipso fundationis primordio sub apostolice sedis patrocinio permansit. Nos quoque predecessorum vestigiis insistentes eiusdem loci monachos in Romane ecclesie filios speciali dilectione assumimus. Unde dilectionem vestram literis presentibus admonemus rogamus atque precipimus, ne quamlibet ecclesiasticam secularemve personam patiamini prefatum cenobium aut ei pertinentia infestare. Nullus etiam vestrum quoquo modo audeat ipsius monasterii monachos excommunicare vel interdicere. Totam preterea Romanorum privilegiorum seriem inviolatam eis per vos custodiri deposcimus. Universos etiam tam clericos quam laicos exhortamur sepedicti loci exaltationi et provectioni fideliter insistere. Quia vero magnam apud eos religionis disciplinam novimus zelumque servari, universos vos archiepiscopos et episcopos rogatos volumus, ne illo ad melioris vite conversationem tendere aut laicos prohibeatis aut clericos...

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 272; Frotardus abbas S. Poncii, de quo iam supra 1089 et 1091, Iun. 8, iterum tamquam legatus Petri regis Aragoniae ad Urbanum II venerat et praeter privilegium pro rege (IL 5552) etiam pro suo monasterio hanc tanti valoris commendationem impetraverat. IL –

164.

1095, *Mart. 31. Urbanus II archipresbytero et canonicis regul. ecclesiae S. Agathae (Cremona).*

De cetero nullam episcopus in predicta ecclesia potestatem exerceat, neque excommunicandi, neque interdicendi, aut ad sinodum judiciaria potestate vocandi.

Pflugk-Harttung II 160 nr. 193; IL 5558; *Italia Pontif.* VI 1, 280.

165.

1095, *April. 4. Urbanus II Ricardo Cardinali et abbati S. Victoris (Marseille).*

Episcopis autem interdictum volumus, ne inconsultis vobis aut locorum prepositis, loca vestra vel ecclesias excommunicent aut interdicant. Porro in ecclesiis interdictis vobis licenciam indulgemus, cum ad ea loca veneritis, seorsum divina officia celebrare.

Guérard, Cart. de St.-Victor p. 210 nr. 840; IL 5560.

166.

1095, *April. 16. Urbanus II omnibus archiepiscopis et episcopis per totam Hispaniam. Privilegium monasterii S. Victoriani, O. S. B. Asaniensis (San Victorián, Sobrarbe).*

Nullus etiam vestrum vel successorum vestrorum quoquo modo audeat iamdictum locum, ecclesias ad ipsum pertinentes, abbates monachos aud clericos ipsius excomunicare vel interdicere.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 275; documentum falsificatum! IL -

167.

1095, *April. 19. Urbanus II monasterio Aureliacensi (Aurillac, d. Clermont).*

Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur, sed tam monachi ipsi, quam et famuli

eorum et, qui se monasticae professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis diocesanis, divinae servitutis officia celebrent et sepulturae debita peragant.

Pflugk-Harttung I 59 nr. 62; dubitat de authenticitate documenti; IL 5563.

168.

1095, *Sept. 12. Urbanus II monasterio S. Aegidii* (*St. Gilles, d. Nîmes*).

Statuimus etiam ut de cetero nulli archiepiscopo liceat super vestrum coenobium vel abbatem manum excommunicationis aut interdictionis extendere.

PL 151, 425; IL 5577.

169.

1095, *Oct. 8. Urbanus II monasterio Omnium Sanctorum* (*Allerheiligen in Schaffhausen*).

Ad haec adicimus, ut nulli episcoporum facultas sit, sine Romani pontificis licentia loca vestra vel monachos interdictioni vel excommunicationi subicere.

Quellen zur Schweizer Geschichte. 3 Bd. Die aeltesten Urkunden von Allerheiligen in Schaffhausen, Rheinau u. Muri. *ed. L. Baumann* (Basel 1883) p. 50; *Pflugk-Harttung* I 61 nr. 63; *Mansi* XX 706; IL 5580; Brackmann, *Germania Pontif.* II 2 (1927) 14.

170.

1095. *Urbanus II Guarnerio de Castellione* (*Chatillon*).

Venerabilem fratrem nostrum Atrebatensem (Arras) episcopum ad concilium venientem te cepisse audivimus, et cur ceperis plurimum miramur. Rex enim Francorum non solum venire ad nos alios non prohibet, verum etiam omnibus suae potestatis episcopis et abbatibus venire ad concilium licentiam dedit. Unde litteris te praesentibus ut captum commonemus episcopum pro reverentia B. Petri ac nostro amore cum suis omnibus liberum

abire permittas; alioquin quamdiu illum tenueris, et te et terram tuam excommunicationi subjicimus.

Mansi XX 695; PL 151, 429; IL 5584. — Eodem tempore Urbanus II episcopo Senonensi scripsit ut moneret Guarnerium ut dimitteret episcopum captum: « Quod si contempserit, quamdiu illum tenuerit, et ipsum et locum suum excommunicationi subjicias ». ibid. IL 5585.

171.

1095, *Nov. 13. Urbanus II monasterio Silviniacensi (Souvigny, d. Clermont).*

Eapropter praesente confratre nostro venerabili Durantio, Avernensi (Auvergne) episcopo, constituimus, ne pro communi parochiae excommunicatione, vel interdictione, ullo unquam tempore coenobium vestrum interdictionis alicujus jacturam sentiat.

Bibl. Cluniac. 309; PL 151, 430; IL 5586.

172.

1095, *Dec. 7. Urbanus II sanctimonialibus monasterii Marciniacensis (Marcigny d. Autun; sub jurisd. Cluniac. coen.).*

Hoc quoque praesenti capitulo subjungimus, ut nulli jam liceat congregationi vestrae vel excommunicationis gravamen inferre, vel divinum officium interdicere, sepulturae debitum prohibere, aut interdicti cujuslibet molestiam irrogare.

Bibl. Cluniac. app. 86; PL 151, 442; IL 5603.

173.

1095, *Dec. 7. Urbanus II monasterio Celsiniacensi (Sauxillanges, d. Clermont).*

Et quia, largiente Domino, monasterii vestri ecclesia nostris manibus est consecrata, hoc quoque praesenti capitulo subjungimus, ut pro beati Petri et nostrae consecrationis reverentia nullus deinceps audeat in idem monasterium excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam.

Baluz. Miscellanea II 175 s.; PL 151, 432; IL 5604.

174.

1095, *Dec. 31. Urbanus II episcopis Cadurcensi (Cahors), Ruthenensi (Rodez) Arvernensi (Auvergne) Lemovicensi (Limoges). Abbas monasterii O. S. B. Figiacensis (Figeac, d. Cahors) Romae de multis injuriis monasterio a clericis et laicis illatis conquestus est. Variae ecclesiae aliaeque res ablatae monasterio restituendae, omnes injuriae reparandae sunt:*

...atque simul omnes ipsius malefactores, si audita admonitione nostra emendare noluerint, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, ab omni divino officio interdicimus, donec emendatione congrua abbati Figiacensi et ejusdem loci fratribus satisfaciant. Haec itaque cuncta, quae praediximus, fideliter vobis observare, quemadmodum confratribus nostris, firmiterque mandamus.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 542; IL 5607.

175.

1096, *Ian. 2. Urbanus II monasterio Tutela, O. S. B. (Tulle, d. Limoges).*

Ad haec adiicientes statuimus, ne pro malefactis militum Tutelensi castro habitantium monasterium ipsum excommunicetur, ea tamen conditione, ut iidem milites, si excommunicati fuerint, ad divina illic officia non admittantur.

Baluzius Hist. Tutel. app. 437 ss.; PL 151, 444; IL 5612.

176.

1096, *Urbanus II Petro abbati monasterii O. S. B. Caroffensis (Charroux, d. Poitiers).*

Ad haec, quia ipsius ecclesiae altare, Domino largiente, nostris est manibus consecratum, adjicientes statuimus, ut preter Apostolice sedis pontificem nullus deinceps audeat in idem altare excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 559; IL 5627.

177.

1096, *Mart. 24. Urbanus II Poncio abbati monasterii S. Victoriani Asaniensis (San Victorián, Sobrarbe).*

Precipimus vero atque constituimus, ut prescriptum monasterium et sibi subdite congregationes et ecclesie nunquam pro excomunicatione circumiacentis provincie excommunicentur aut a divinis proibeantur officiis. Decernimus preterea, ut ipsius monasterii abbas sine iudicio sedis apostolice nullatenus deponatur nec a divinis sacramentis suspendatur sine literis aut nuntiis domni pape.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 279; documentum spurium de manu ejusdem falsarii, qui et epistolam d. 16. Apr. 1095 (vide supra) confecit. IL -

178.

1096, *April. 7. Urbanus II abbati Cluniacensi. Novum monasterium Pictaviense illius jurisdictioni subjicit.*

Subjungimus, ut nec episcopo, nec episcopi ministerio (ministro?) cuiquam facultas sit, temere citra nostram vel legati nostri licentiam in locum illum excommunicationis proferre sententiam.

Martène, Thes. nov. anecd. I 267; PL 151, 461; IL 5638.

179.

1096, *April. 12. Urbanus II monasterio S. Martialis, O. S. B. Lemovicensis (Limoges).*

Hoc quoque praesenti capitulo subjungimus, ne pro communi parochiae interdicto vel excommunicatione monasterium vestrum interdicto excommunicationive subdatur, ut tamen excommunicati illic vel interdicti nequaquam ad divina officia admittantur.

Baluz. Miscell. II 178; PL 151, 462; IL 5639.

180.

1096, *Iun. 3. Urbanus II Hugoni abbati Cluniacensi. Ipse consecravit ecclesiam S. Martini de Lairaco.*

Et quia disponente domino celle ipsius altare nostris manibus consecratum est, ampliori veneracioni locum ipsum deinceps

haberi precipimus; scientes (statuentes?) ne cui persone preter Romani pontificis scientiam liceat, adversus idem altare interdictionis aut excommunicationis proferre sententiam.

Pflugk-Harttung III 19 nr. 22; IL 5649.

181.

1096, *Iul. 16. Urbanus II abbati monasterii S. Mariae Rivipollensis. O. S. B. in comitatu Ausonensi* (*Ripoll, d. Vich, Hispan.*)

Ad haec adjicimus, ut episcoporum quilibet claustrum ipsum et illic Domino servientes, temerario ausu excommunicare, sed neque capellas quae circa ambitum monasterii sitae sunt, sine Romani pontificis vel legati ejus audientia interdicere vel excommunicare non debeat; neque ceteris ad vos pertinentibus locis sine certis causis praejudicium canonicae ultionis inferre.

PL 151, 472: IL 5655.

182.

1096, *Iul. 17. Urbanus II abbati monasterii S. Stephani in Balneolis, in comitatu Bisuldunensi* (*San Esteban de Bañols, O. S. B., Besalú, Catalonia, Hispan.*).

Ad haec adjicimus ut episcoporum quilibet claustrum ipsum et illic in Domino servientes, temerario ausu, aut sine Romani pontificis vel legati ejus audientia interdicere vel excommunicare non debeat; neque ceteris ad vos pertinentibus locis sine certis causis praejudicium canonicae ultionis inferre.

PL 151, 474s; IL 5656.

183.

1096, *Iul. 20. Urbanus II in concilio Nemausensi* (*Nîmes*) *controversiam inter episcopum Tolosanum* (*Toulouse*) *et canonicos regul. ecclesiae S. Saturnini* (*St.-Sernin*) *dirimit.*

Praeterea quoniam largiente Domino, beati Saturnini ecclesiam nostris manibus consecravimus, et sanximus et sancimus, ne quis episcopus aut archiepiscopus sine nostra vel legati nostri

audientia, interdictionis aut excommunicationis in locum ipsum audeat proferre sententiam.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 552; IL 5658.

184.

1096, *Iul. 22. Urbanus II monasterio S. Aegidii (St.-Gilles).*

Post haec divinae voluntatis dispositione actum est, ut apud B. Aegidii monasterium, basilicae novae aram omnipotenti Deo nostris manibus dicaremus. Sanximus igitur et sancimus, ne quis ulterius archiepiscopus aut episcopus, adversus eandem ecclesiam audeat excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam, quatenus idem monasterium ex ipsius B. Aegidii traditione sanctae Romanae Ecclesiae juri proprio subditum, Romane semper libertatis gratia perfruatur.

PL 151, 477; IL 5659.

185.

1096, *Iul. 22. Urbanus II canonicis (Augustin.) in ecclesia Beati Saturnini Tolosae (St.-Sernin de Toulouse).*

Praeterea quoniam largiente Domino beati Saturnini ecclesiam nostris manibus consecravimus, et sanximus et sancimus, ne quis Episcopus aut Archiepiscopus sine nostra vel Legati nostri audientia interdictionis vel excommunicationis in locum audeat proferre sententiam.

Baluz. Miscell. II 179; PL 151, 478; IL 5660.

186.

1096, *Iul. 30. Urbanus II Guilelmo abbati monasterii O. S. B. apud Montem Majorem (Montmajour, d. Arles).*

Missas sane publicas in eodem monasterio per episcopum celebrari, stationes fieri, aut ordinationes aliquas praeter abbatis et fratrum voluntatem institui prohibemus; cui etiam facultas nulla sit sine Romani Pontificis aut legati ejus audientia saepe fatum Majoris - montis monasterium excommunicationi vel interdictioni subjicere.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 556; IL 5664.

187.

1096, *Aug. 7. Urbanus II Constantiensi episcopo.*

Inter Scafusensium (Allerheiligen O. S. B., Schaffhausen) et Raitenbuchensium (Rottenbuch, d. Freising, Bav.) congregationes quare et quam diutina discordia fuerit, fraternitati tuae liquido patet. Nuper cum Turonis essemus, per filium nostrum Manegoldum, magistrum scholarum, pacificos eos audieramus. Communis autem filius Gerardus, Scafusensis monachus veniens, eandem apud nos querelem replicavit, quia videlicet fratres illi monachum reddere noluerunt. Mandamus itaque dilectioni tuae, ut ad reformandam inter ipsos concordiam cum religiosis adhuc invigiles. Quod si modo obedire contempserint, et post nostrarum litterarum acceptionem infra dies XXX monachum illum pro quo inter eos discordia crevit Scafusensi abbati non restituerint, eos deinceps nostra sententia noveris interdictos.

PL 151, 482: IL 5665. — Eodem die Urbanus II tale mandatum Odalrico praeposito Raitenbuchensi mittit. PL 151, 482; IL 5666; A. Brackmann, *Germania Pontificia* I 376.

188.

1097, *Ian. 9. Urbanus II Hugoni abbati Cluniacensi.*

Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione, ut neque Cluniacum neque loca ad id pertinentia ubicumque, Episcopi vel sacerdotis deprimantur interdictionis titulo, seu excommunicationis vinculo, vel anathematis. Non enim patitur sedis sanctae Apostolicae auctoritas, ut ullius cujuscumque personae obligatione proscindatur a se cuilibet concessa libertas. Non igitur fratres tui et Monachi, ubicumque, cujuscumque Episcopi vel maledictionis, vel excommunicationis, seu interdictionis vinculo teneantur astricti. Et si quis sciens hanc nostram paginam, contra hanc facere praesumpserit, auctoritate beati Petri, cui conditor omnium ligandi atque solvendi potestatem commisit, Ecclesia vestra, et ipsi Monachi absolvantur.

Bibl. Cluniac. 520; IL 5676.

189.

1097, *April. 17. Urbanus II Hugoni abbati Cluniacensi.*

Praesenti igitur constitutione sancimus, ne cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro vicinarum dioecesum interdictione, vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur, sed tam monachi ipsi, quam et famuli eorum, qui videlicet monasticae se professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis dioecesanis, divinae servitutis officia celebrent, et sepulturae debita peragant.

PL 151, 493; IL 5682.

190.

1098, *Mai 4. Urbanus II Eximino praeposito et fratribus canonicae Domini Nostri Iesu Nazareni (ecclesia colleg. Montaragón, Hispan.).*

Porro nulli episcopo liceat eiusdem ecclesie fratres, quos in Romane ecclesie filios speciali dilectione assumpsimus, excommunicare aut divinum eis officium interdicere, sed sub sola sedis apostolice protectione ac iudicio liberi annuente Domino securique permaneant.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 284. IL -

191.

1098, *Oct. 10. Urbanus II Urso abbati monasterii O. S. B. Melitensis (SS. Trinità e S. Arcangelo, Mileto).*

Ad hec adicimus ut nulli episcoporum facultas sit, sine Romani pontificis licentia loca vestra vel monachos interdictioni vel excommunicationi subicere aut aliquam in loco eodem potestatem vel molestiam exercere.

Paul Kehr, Papsturk. in Rom, in: Nachr. d. G. Goettingen, phil. hist. Kl. (1900) 150. IL -

192.

1098, *Nov. 24. Urbanus II Goffredo abbati monasterii Vindocinensis* (*Vendôme*). *Ecclesiam beatae Priscae in monte Aventino sitam ei in perpetuum tradit.*

Praecipimus etiam ut tam in Vindocinensi monasterio quam in sancti Salvatoris juxta Andegavis (Angers) muros ecclesia nulli personae nisi soli papae liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere, etiamsi contigerit Carnotensem, aut Andegavensem patriam pro culpis quibuslibet excommunicari. Neque etiam subditas ecclesias ubicumque sint excommunicare vel interdicere cuiquam liceat, nisi certis pro culpis et quas Vindocinensis abbas et fratres canonice ab ipsis episcopis admoniti emendare contempserint.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 563. IL 5714.

193.

1088-99. *Urbanus II abbati monasterii beati Petri Latiniacensis* (*Lagny, arrond. Meaux*).

Decernimus... ita tamen quod neque ejusdem Ecclesiae (Parisiensis) episcopo, neque archidiacono liceat temerariae excommunicationis vel exsecutionis aut consuetudinis gravamen aliquod fratribus irrogare.

PL 151, 523; IL 5728.

194.

1088-1099. *Urbanus II Ariberto episcopo Avennionensi* (*Avignon*).

Episcopalis officii interest, religiosis viris auxilium suae protectionis impendere. Unde plurimum de tua religione miramur, quoniam religiosos fratres Lirinensis monasterii (Lérins, d. Antibes), quod profecto nostri juris est, diceris infestare. Ecclesiam quippe sancti Thome de castro Laurata (St.-Thomas de Laurade, Bouches-du-Rhône), quam et multorum annorum possessione et Romani privilegii corroboratione tenuerunt, eis auferre conaris. Mandamus igitur dilectioni tue, ut ecclesiam illam et ab interdicto

absolutam et quietam eisdem fratribus, sicut hactenus habuere, permittas. Vale.

Pflugk-Harttung I 66 nr. 69; IL 5746.

195.

1097-99. *Urbanus II Raimundo episcopo Nemausensi* (*Nîmes*).

Regestum: Urbanus reprehendit episcopum, quod in coenobii S. Aegidii (St.-Gilles) monachos interdictionis frena laxaverit.

IL 5773 (ex Goiffon Bull. de St.-Gilles, 37).

196.

1099, *April. 14. Urbanus II Petro abbati monasterii O.S.B. Anianensis* (*Aniane, d. Maguelonne*).

... nec pro communi provinciae sive diocesis excommunicatione locus vester excommunicationi subjaceat; ita tamen, ut illic excommunicati ad communionem non admittantur; nec ulli episcopo congregationem vestram excommunicandi licentia conceditur.

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 566; IL 5786.

197.

1099, *April. 19. Urbanus II monasterio S. Saturnini* (*de Tabernoles*) *in dioecesi Urgellensi* (*Urgel, Hispan.*).

... nec dioecesano episcopo liceat aliquam eidem monasterio excommunicationem inferre.

PL 151, 542; IL 5787. Cf. supra a. 779, documentum falsificatum, quod impetrandae huic exemptioni inservivit.

198.

1099, *Mai 4. Urbanus II Begoni abbati monasterii O.S.B. Sanctae Fidis Conquensis* (*Sainte-Foy de Conques, Rodez*).

Ad haec adjicimus ut nulli episcoporum facultas sit sine Romani Pontificis licentia, locum vestrum vel monachos interdictioni vel excommunicationi subjicere, nec pro communi dioecesis

excommunicatione locus ipse excommunicationi vel interdictioni subjaceat,

Analecta Iuris Pontificii X (1869) 569; IL 5802.

199.

1099, *Mai 14. Urbanus II canonicis ecclesiae Ruthenensis (Rodez, Gallia).*

Ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine Praepositi vel congregationis licentia de claustro discedere liceat, interdicimus. Quod si discesserit, et commonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus facultas sit ejusmodi ubilibet a suis officiis interdicere; interdictum vero nullus Episcoporum seu Abbatum suscipiat.

Baluz. Miscell. III 9; PL 151, 546; IL 5805. — Haec formula de interdicto personali seu suspensione, quae saepe occurrit, speciminis gratia refertur.

200.

1100, *Mart. 23. Paschalis II Rogerio abbati monasterii O. S. B. Melitensis (SS. Trinità e S. Arcangelo, Mileto). — Confirmat privilegium ab Urbano II d. 10 Oct. 1098 concessum eisdem verbis; textum vide supra.*

Paul Kehr, Papsturk. in Rom (1900) 152. IL -

201.

1100. *April. 24. Paschalis II monasterio S. Eugendi, O. S. B. (St. Oyan, sous-préfect. du Iura).*

Nec nisi pro certiori totius congregationis culpa excommunicationi vel interdicto... addicatur.

Wiederhold, Papsturk. in Frankreich (1906) Beiheft I p. 24 n. 4. IL -

202.

1100. *Mai 3. Paschalis II Raimundo abbati monasterii S. Salvatoris et S. Mariae Leiorensis (S. Salvador de Leire).*

Inter hec disponimus et constituimus, ut predictum Leiorense monasterium vel alie ecclesie sibi pertinentes aut sibi etiam

subiecte congregationes nunquam pro excommunicatione circaiacentis provincie aliquo modo excommunicentur aut ipsi aut eorum clerici a divino officio suspendantur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 295. Falsificatio! Idem falsarius pro eodem monasterio privilegium d. 26 Mai 1089 (vide supra) confecit. IL -

203.

1100, *Aug. 30. Paschalis II monasterio La Cava (d. Salerno).*

Ad hec adicimus, ut nulli episcoporum facultas sit, sine Romani pontificis licentia loca vestra vel monachos interdictioni vel excommunicationi subicere.

Pflugk-Harttung II 170 n. 206; IL 5837.

204.

1100, *Nov. 14. Paschalis II monasterio Silviniacensi (Souvigny, d. Clermont).*

Idcirco vos et locum vestrum tamquam Cluniacensis coenobii membrum sub apostolicae sedis protectione perpetuo, juxta domni praedecessoris Urbani secundi statuta suscipimus; sancientes, ne ullo umquam tempore idem coenobii vestri locus interdictionis alicujus jacturam sentiat.

PL 163, 50; IL 5844.

205.

1100, *Nov. 15. Paschalis II Hugoni abbati Cluniacensi.*

Nec minus illud supradictum Urbani II capitulum confirmamus, ne cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi quam et famuli eorum, et qui se monasticae professioni devoverunt, clausis januis, non admissis dioecesanis, divinae servitutis officia celebrent, et sepulturae debita peragant.

PL 163, 51; IL 5845.

206.

1100, *Nov. 19. Paschalis II Hilgoto abbati Majoris monasterii (Marmoutiers, O. S. B., d. Tours).*

Adjicientes et praecipientes ne quisquam deinceps archiepiscopus aut episcopus, B. Martini Majus Monasterium, aut ipsius Majoris Monasterii monachos, pro ulla causa ullo in loco excommunicare praesumat, sed omnis eorum causa gravior ex apostolicae sedis judicio pendeat. Nec cellarum vestrarum videlicet fratres pro qualibet interdictione, vel excommunicatione divinorum officiorun suspensionem patiantur, sed tam monachi ipsi, quam etiam famuli eorum, et qui se monasticae professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis dioecesanis, divinae servitutis officia celebrent, et sepulturae debita peragant.

PL 163, 55; IL 5847.

207.

1100, *Nov. 20. Paschalis II Hugoni abbati Cluniacensi.*

Nec minus illud supradicti Urbani II Papae Capitulum confirmamus, ne Cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres, pro qualibet interdictione, vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam Monachi ipsi quam et famuli eorum, et qui se Monasticae professioni devoverunt, clausis Ecclesiarum januis, non admissis diocesanis, divinae servitutis officia celebrent, et sepulturae debita peragant.

Bibl. Cluniac. 522; PL 163, 56; IL 5849.

208.

C. 1100, *Nov. 20. Paschalis II Gaufrido episcopo Andegavensi (Angers).*

Neque litteris praedecessoris nostri sanctae memoriae Urbani, neque pollicitatione, quam coram eo fecisti, neque nostra praeceptione motus es, ut Majoris-monasterii (Marmoutiers, arr. de Tours, O. S. B.) fratribus aut salis pretium redderes aut convenientem concordiam faceres. Tandem ergo tibi sacerdotale officium interdicimus et castellum illud Calumnam, in quo salis

rapina facta est et in quo ejusdem rapinae ministri habitant, a divinis officiis sequestramus praeter puerorum baptisma et morientum poenitentias, donec aut pretium reddatur aut competens concordia comparetur.

Loewenfeld, Epist. Pont. Rom. ined. p. 67; IL 5855.

209.

1100, *Nov. 28. Paschalis II canonicis (Augustin.) S. Saturnini (Saint-Sernin de Toulouse). Post professionem nemo discedat.*

Quod si discesserit et commonitus redire contempserit, prepositi intersit, si oportunum viderit, eum ubilibet a suis officiis interdicere, interdictum vero episcoporum vel abbatum sine ipsius permissione nullus absolvat. Praeterea, quoniam divina dispositione actum est, ut beati Saturnini ecclesia, apud quam manetis, supradicti praedecessoris nostri Urbani papae propriis manibus consecrata sit, nos juxta ipsius instituta sancimus, ne quis episcopus aut archiepiscopus sine nostra (vel) legati nostri audientia interdictionis vel excommunicationis in locum audeat proferre sententias.

Pflugk-Harttung I 71 s. nr. 78; IL 5850.

210.

1101, *Apr. 11. Paschalis II Stephano episcopo Oscensi (Huesca). De quatuor ecclesiis, quas Petrus episcopus Pampilonensis ab eo reclamaverat, controversia habebatur. Stephanus judicio Richardi Massiliensis, legati cardinalis, Gibelini archiepiscopi Arelatensis et aliorum se subjicere recusaverat, ter Romam vocatus venire contempserat. Nunc iterum Romam usque ad festum S. Michaelis vocatur, secus a pontificali et sacerdotali officio suspenditur. Interim quatuor ecclesiae a divinis cessare debent. Documentum partim destructum est.*

...idcirco illas [scil. quatuor ecclesias] divino officio cessare iudicamus, donec in nostri presentia cuius ...Pampilonensis sive Oscensis episcopi iuste et canonice comprobetur.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 297. IL -

211.

1101, *Mai 5. Paschalis II Sehero abbati et canonicis ecclesiae Calmosiacensis* (*Chamouzey*).

Praeterea prohibemus et interdicimus ut circa coenobii vestri ambitum occasione qualibet assultum facere nemo praesumat; si vero, quod absit! forte contigerit in atrio vestro, vel in effusione sanguinis, vel in verberum inflictione, sive in aliquo ejusmodi violentiam irrogari, nequaquam propter haec ecclesia vestra a divinis prohibeatur officiis.

PL 163, 72 s; IL 5869.

212.

1102, *Ian. 11. Paschalis II Eximino praeposito canonicae D. N. Iesu Nazareni* (*Montaragón*).

Vite itaque kanonice ordinem, quem professi estis, presentis privilegii auctoritate firmamus. Et ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere neve sine prepositi vel congregationis licentia de claustro discedere liceat interdicimus; quodsi discesserit et commonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus facultas sit eiusmodi ubilibet a suis officiis interdicere; interdictum vero nullus episcoporum abbatumve suscipiat...

Porro nulli episcopo liceat eiusdem ecclesie fratres, quos in Romane ecclesie filios speciali dilectione assumpsimus, excommunicare aut divinum eis officium interdicere, sed sub sola sedis apostolice protectione ac iudidio liberi annuente Domino securique permaneant.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, II. Navarra und Aragon (1928) 299. IL -

213.

1102, *Febr. 14. Paschalis II monasterio S. Petri, O. S. B.* (*S. Pietro, Cremona*).

De cetero nullam amplius episcopus in predicto monasterio potestatem habeat neque excommunicandi aut interdicendi aut ad sinodum vocandi.

Pflugk-Harttung II 174 nr. 211; IL 5892; *Italia Pontif.* VI 1, 287.

214.

1102, *Febr. 25. Paschalis II Willelmo abbati monasterii Montis Majoris, O. S. B. (Montmajour-lez-Arles).*

...cui (scil. episcopo) etiam facultas nulla sit, sine Romani pontificis aut legati ejus audientia saepefatum Majoris Montis monasterium excommunicationi vel interdictioni subicere.

Pflugk-Harttung III 21 nr. 25; IL 5893

215.

1102, *Mart. 11. Paschalis II Goffredo abbati mon. Vindocinensis (Vendôme d. Chartres).*

Praeterea praecipimus, ut tam in Vindocinensi laco, quam in praedicta secus Andegavim (Angers) S. Salvatoris ecclesia sine Romani pontificis licentia nulli episcopo liceat, potestatem aliquam aut dominationem exercere aut excommunicare seu interdicere, etiamsi forte contigerit, Carnotensem aut Andigavensem patriam pro culpis quibuslibet excommunicari, ita tamen, ut excommunicatos ipsi non recipiant. Neque etiam subditas ei cellas, ubicunque sint, excommunicare vel interdicere cuiquam liceat, nisi apertis pro culpis, et quas Vindocinensis abbas et fratres, canonice ab episcopis admoniti, emendare contempserint.

Pflugk-Hartung III 22 nr. 26; IL 5899.

216.

1102, *April. 20. Paschalis II Guacelino abbati canonicorum regul. in monte S. Petri. (Pierremont, dép. Vosges, St. Peter, d. Metz).*

Si vero, quod absit, forte contigerit, infra atrium vestrum vel effusionem sanguinis vel verberum illationem sive in aliquo hujus violentiam irrogari, nequaquam propter hoc ecclesia vestra a divinis prohibeatur officiis.

Pflugk-Harttung III 25 nr. 29; IL 5915.

217.

1102, *Mai 17. Paschalis II monasterio Aureliacensi (Saint-Gérard d'Aurillac, d. Clermont).*

Ad hoc adicientes decernimus, ut nulli episcoporum vel episcopalium ministrorum facultas sit, in locum vestrum vel ejus monachos ulcionem excommunicationis extendere, nec cellas ei subditas, praeter apostolicae sedis appellationem interdictioni vel excommunicationi subicere.

Pflugk-Harttung I 73 nr. 80; cui hoc quoque documentum Aurel. dubitatione non caret; IL 5919.

218.

1102, *Mai 29. Paschalis II monasterio S. Martialis, O. S. B. Cluniac., Lemovicensi (Limoges).*

Hoc quoque praesenti capitulo subjungimus, ne pro communi parrochie interdictione vel excommunicatione monasterium vestrum interdicto excommunicationive subdatur, ut cum excommunicati vel interdicti nequaquam ad divina officia admittantur.

Pflugk-Harttung I 74 nr. 81; verba « ut cum » nullum sensum continent, eorum loco in similibus documentis legitur: « ita tamen, ut »; IL 5920.

219.

1099-1102, *Paschalis II Hermengaudo abbati monasterii O. S. B. S. Michaelis (San Michele della Chiusa d. Torino).*

Interdicimus autem ut nulla ecclesiastica secularisve potestas super eundem locum aliquam violentiam vel dominationem exercere presumat nec quovis quomodo quisquam episcopus aut archiepiscopus locum ipsum abbatem vel monachos ejus excomunicare aut judicare vel aliquod ejus altare violenter exconciliare audeat vel loca quelibet eius ditioni et ordinationi subdita pro privatis causis nullius excommunicationi subiaceat, sed semper sub tutela et emunitate Romane ecclesie consistentes omnipotenti Domini quieti ac securi deserviant.

Nachrichten d. G. Göttingen (1930) 100; *Italia Pontif.* VI 2, 124; IL 6577 ad a. 1099-1118.

220.

1103, *Mai 1. Paschalis II Didaco episcopo Compostellano (Hispan.). De ecclesiis a Comp. dependentibus.*

Adicimus etiam ut nec episcopis, nec episcoporum ministris, facultas sit in iisdem ecclesiis quaslibet novas imponere consuetudines, nec ipsarum clericos, vel ipsas ecclesias excommunicare aut interdicere absque tua examinatione et certioris culpae cognitione, sed in tuo et Ecclesiae Compostellanae dominio integre et quiete permaneant.

Florez, España Sagrada XX (ed. 2) 35; PL 163, 113; IL 5942.

221.

1103, *Oct. 30. Paschalis II clericis, militibus et ceteris laicis per Gallicanas ecclesias.*

Audivimus, et vix credere potuimus, quod confrater noster Eduensis (Autun) episcopus, et archidiaconi ejus, vel archipresbyteri, non justitia ducti, sed aemulatione compulsi, vobis interdixerint Vizeliacense coenobium (Vézelay, O. S. B.) devotionis gratia adire, ecclesiam introire, et ad sepulcrum beatae Mariae, quod in eadem ecclesia celebratur, accedere, aut aliquas oblationes apponere. Nova haec est interdictio sacerdotum: cum ad devotionem vocare, non a devotione revocare, sacerdotalis officii debitum videatur. Porro nos interdictum hoc sacerdotali officio dissolventes scire vos volumus, quia sive episcopus, seu ministri ejus, nisi ab hac praesumptione destiterint, apostolicae sedis indignatione plectentur.

Mansi XX 1029 s.; PL 163, 122; IL 5959.

222.

1104, *Nov. 8. Paschalis II monasterio Aquicinnensi, O. S. B. (Auchin, d. Arras).*

Sepulturam quoque ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extreme voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat,

nec pro communi parrochie interdicto locus idem a divinis cesset officiis.

Pflugk-Harttung I 80 nr. 89; IL 5989.

223.

1105, *Ian. 1. Paschalis II monasterio Divionensi, O. S. B.* (*St.-Bénigne, Dijon, d. Langres*).

Statuimus autem, ne ab episcopo vel ministris Linguonensis ecclesie (Langres) divina monasterio vestro interdicantur officia, sed continue celebrentur, nisi eisdem causis fratres cessare oporteat, que sedis apostolice presulis Benedicti determinatione distincte sunt.,.

Decernimus itaque, ut nulli omnino hominum liceat, idem monasterium temere perturbare... quibus (scil. episcopis) tamen nec ipsis nec eorum ministris liceat, cenobii vestri ecclesias injustis interdictionibus fatigare, quamdiu illic monastici ordinis vigor, domino prestante, permanserit.

Pflugk-Harttung I 83 nr. 91, qui de authenticitate documenti dubitat; IL 6004. Documentum supra memoratum Benedicti VIII a. 1012, Nov. 30, in quo Brunoni episcopo ligonensi monasterium St. Benigni commendat, vide IL 3991.

224.

1105, *Mart. 20, Paschalis II monasterio S. Benedicti super Padum* (*San Benedetto, d. Mantua*).

Nec cellarum vestrarum, ubilibet positarum, fratres interdictione vel excommunicatione parrochie divinorum officiorum suspensionem patiantur, sed tam monachi ipsi, quam famuli eorum, et qui se monastice professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis diocesanis, divine servitutis officia celebrent et sepulture debita peragant.

...episcopus Mantuanus... abbatem vel monachos excommunicare, ipsis vel ipsi coenobio interdictionis sententiam absque nostra vel successorum nostrorum licentia non presumat inferre.

Pflugk-Harttung II 185 nr. 221; PL 163, 148; IL 6012; *Italia Pontif.* VII 1, 332.

225.

1105, *April. 6. Paschalis II Clericis capituli ecclesiae Parisiensis (Notre-Dame). Commendat eis Galonem episcopum et praepositum Roma redeuntem.*

...nostre auctoritatis ei (scil. praeposito) vicem concessimus, quatinus si episcopi, aut quorum parrochiani bona ipsa diripiunt, aut quorum in parrochiis bona eadem habentur, aut nolunt aut desides sunt ecclesie vestre justitiam facere, ipse vel interdicendi vel excommunicandi eos nisi satis fecerint, habeat facultatem.

M. Guérard, Cart. de l'église Notre-Dame I 224; *L. Tanon*, Histoire des Iustices des anciennes églises et communautés monastiques de Paris (1883) 136; PL 163, 157; IL 6019.

226.

1105, *April. 24. Paschalis II monasterio Trenorciensi, O. S. B. (St.-Philibert, Tournus, arr. Mâcon).*

Nec episcopo liceat cujuscumque dioecesis eundem locum, excommunicationis, vel absolutionis, vel cujuslibet dispositionis occasionibus perturbare.

PL 163, 163; IL 6034.

227.

1105, *Oct. 11. Paschalis II Waloni episcopo Belvacensi (Beauvais).*

Iustitiam a te diligi multis jam experimentis didicimus, idcirco quod justitia est, strenuitati tuae confidenter indicimus. In praesentia siquidem tua et aliorum coepiscoporum, filius noster Sancti Bertini abbas Lambertus (Saint-Bertin, St.-Omer, O. S. B.) possessionem quandam quae Hubertuisin dicitur in villa Bury, monasterio suo rationabiliter vindicasse significavit, quam Hugo quidam de Bury, auxilio Fulconis, filii Ebali, violenter tenet. Unde etiam a legato nostro Coelestino, Prinestino episcopo, in Remensi concilio excommunicatus asseritur. Tuam igitur experientiam monemus et praecipimus, ut, sicut tibi nota est, justitiam monasterio exsequaris. Nec solum excommunicationem,

quae in Hugonem illum et fautores ejus dictata est, teneas, sed in tota villa Bury et in tota terra Fulconis divina officia prohibeas donec monasterio satisfaciant.

PL 163, 169; IL 6041.

228.

1106, *Mai. 24. Paschalis II Praeposito et fratribus ecclesiae S. Frigdani Lucensis* (*Basilica San Frediano, Lucca*).

Nec eidem episcopo (Lucensis) nullo modo liceat, locum ipsum aut Fratres illic habitantes pro nostrorum conceptionum aemulatione excommunicare vel interdicere, nisi pro certis culpis quas iidem Fratres canonice admoniti emendare contempserint.

Baluz. Miscell. IV 584; PL 163, 193; IL 6086; *Italia Pontif.* III 415. San Frediano celeberrima congregatio canonicorum regularium, quae a. 1517 cum congregatione Lateranensi unita est.

229.

1106, *Sept. 19. Paschalis II Abbati monasterii Benedictin. S. Salvatoris in Moxi* (*prope Rosignano d. Pisa*).

Nec episcopo facultas sit, aut Monasterium ipsum, vel Ecclesias praeter culpam interdicere, aut novis exactionibus praegravare.

Muratori, Ant. Ital. III 1105; PL 163, 196; IL 6091; *Italia Pontif.* III 378.

230.

1106, *Oct. 11. Paschalis II Thebaldo abbati monasterii O. S. B. S. Genesii Brixellensis* (*Brescello in Emilia*).

Statuimus enim, nullum sacerdotum quamlibet exercere diocesalem in eodem monasterio et in adiacenti colonia potestatem nec ulli eorum facultas sit locum ipsum vel ejus monachos sive clericos interditioni vel excomunicationis subicere.

Paul Kehr, Papsturk. in Parma u. Piacenza, in Nachr. d. G. Goettingen, phil. hist. Kl. (1900) 25; IL 6582. — Textus male conservatus est,

tamen a Kehr nullatenus tamquam falsificatus consideratur. — *Italia Pontif.* V 431 «Affò Illustrazione p. 30 et p. 58 n. haud merito de fide hujus privilegii dubitat, licet in compluribus locis interpolatum aut vitiatum esse videatur».

231.

1106, *Nov. 21. Paschalis praeposito ecclesiae collegiatae S. Aghatae, Cremona. Concedit licentiam temporibus competentibus ad synodum celebrandum, nisi generalis interdictio fuerit, signa pulsandi et consuetas processiones celebrandi.*

Italia Pontif. VI 1, 280; IL 6578 ad a. 1099-1118; *Pflugk-Harttung*, Iter Italicum 215 nr 269.

232.

c. 1106. *Richardus ep. Albanensis, legatus apost. sedis Amelio episcopo Tolosano (Toulouse).*

In presentia vestra datum est iudicium et ex iudicio dedimus inducias Moysiacensibus fratribus (Moissac) et illis de Curte (Lacourt) tempore et loco designato, ubi vel quando utreque partes ante nostram presentiam convenirent, et Moysiacenses quidem occurerunt, illi vero de Curte occurrere contempserunt et neque se saltem per nuncios excusaverunt. Propter quod fraternitati vestre apostolica auctoritate mandamus, ut visis litteris istis et monasterio et personis divinum interdicatur officium, donec iudicium, quod actenus contempserunt, compleant.

W. Wiederhold, Papsturk. in Frankreich (1913) 42.

233.

1107, *Febr. 4. Paschalis II Willelmo de Sabrano et aliis sociis Bertranni comitis Tolosani (Toulouse). Satisfacere debent pro damnis monasterio S. Aegidii (St.-Gilles d. Nîmes) illatis.*

Pro his igitur omnibus vos ad satisfactionem debitam invitamus, usque ad proximae Quadragesimae initium coram fratre nostro Narbonnensi archiepiscopo, ipsius et ceterorum fratrum judicio, justitiam faciatis. Alioquin ex tunc et terram vestram a

divinis officiis, praeter infantium baptisma et morientium poenitentiam interdicimus, et vos excommunicationis illius, cui sponte admixti estis, vinculis astrictos denuntiamus; quoniam et sacrilegii rei estis et Bertrannus, cui vos socios exhibuistis, non solum propter monasterii et supradictae villae invasionem, verum etiam, propter uxoris repulsam et multiplicata adulteria, excommunicationis vinculo tenetur astrictus.

Bouquet XV 34 s.; PL 163, 202; IL 6116.

234.

1107, *Febr. 4. Paschalis II coepiscopis Narbonnensi, Uceticensi (Uzès), Nemausensi (Nîmes) et ceteris comprovincialibus. De excommunicatione Bertranni de quo in praecedenti.*

Quod nisi ad proximae Quadragesimae initium (satisfactionem) peregerint, extunc et eorum terram a divinis officiis interdicimus, et tam sacrilegii eos quam excommunicationis supradictae, cui sponte admixti sunt, vinculis astrictos denuntiamus. Ceteros etiam ab ejusdem Bertranni auxilio et communione compescite, nisi se a malis tantis et novae illius aedificationis vindicatione compescat. Interea dominatus ejus terram a divinis officiis, praeter infantium baptisma et morientium poenitentias, interdicimus; et quocumque in loco ipse manserit, nullatenus, quamdiu illuc moratus fuerit, divina celebrentur officia.

Bouquet XV 35; PL 163, 203; IL 6117. Similem epistolam Paschalis II die 6 Febr. 1107, ad episcopos Arelatensem (Arles) et Avenionensem (Avignon) direxit. *Pflugk-Harttung* I 89 nr. 97; IL 6118.

235.

1107, *Mart. 16. Paschalis II Cluniacensi monasterio Sanctae Mariae de Charitate ad Ligerim (prioratus Charité-sur-Loire, d. Auxerre).*

Hoc quoque praesenti capitulo subjungimus, ut nulli episcopo liceat, in vos et locum vestrum, qui videlicet de Charitate nominatur, ultionem excommunicationis exercere.

Pflugk-Harttung I 90 nr. 98; IL 6127.

236.

1107, *April. 1. Paschalis II abbati mon. S. Germani a Pratis, O. S. B.* (*Saint-Germain-des-Prés, Paris*).

Nec habeant (episcopus vel clerus Ecclesiae Parisiensis) ibi aliquam potestatem imperandi, sed nec ipsis interdicere, nec excommunicare, nec ad synodum vocare abbatem aut monachos, presbyteros aut clericos ecclesiarum ipsius loci facultatem damus.

R. Poupardin, Recueil des chartes de l'abbaye de Saint-Germain-des-Prés (Paris 1909) I 118; PL 163, 207; IL 6128.

237.

1106-14, *Mai 11. Paschalis II monasterio monialium Benedictin. S. Iohannis Ev. in insula Cornu in suburbio Mantuano* (*San Giovanni*).

Interdicimus enim, ut nullus episcopus jurisdictionem in monasterio vestro sibi vendicare, aut locum ipsum excommunicationi audeat vel etiam interdicto subjacere.

Pflugk-Harttung II 190 nr. 227, qui documentum falsum esse judicat; Paul Kehr, *Italia Pontif.* VII 1, 316 « privilegium quod tamen et interpolatum et corruptum esse constat. Sed de re dubitari nequit ». — IL 6133 ad a. 1107.

238.

1107. *Paschalis II abbati mon. S. Pontii et Electensi* (*Alet, arr. de Limoux*) *abbati.*

Frater noster Ricardus, Narbonnensis metropolitanus, adversus dilectionem vestram conqueritur, quod excommunicatos et interdictos ab eo in communionem et participationem ante absolutionem suscipiatis, cum non solum vos, verum etiam laici non ignorent, quoniam iniquum et contra canones sit, cum interdictis et excommunicatis communicare, et eorum peccatis involvi. Nos vero in concilio quod apud Trecas (Troyes, 1107, Mai 23) celebravimus, sanctorum Patrum decreta sequentes, tam episcopis quam abbatibus et ceteris clericis interdiximus, ne ulterius excommunicatos vel interdictos ab alio in sua parochia reciperent. Igitur

ne nostrae praeceptionis contemptores videamini, mandamus vobis, ut ab hujusmodi omnino cessetis, ne excommunicationis vinculo detineamini.

Mansi XX 1026; PL 163, 223. Cf. *Hefele* V 288; IL 6158.

239.

1108 *Mai 25. Paschalis II monasterio S. Bertini Sithiensis, O. S. B. Cluniac. (Saint-Bertin, Pas-de-Calais).*

... permittimus et in communi parochiae interdicto, clausis ostiis, secrete divina officia celebrare.

PL 163, 243; IL 6201.

240.

1106-1107. *Paschalis II Richardo archiepiscopo Narbonnensi, Galterio Magalonensi (Maguelonne) ceterisque suffraganeis.*

Non latere vos credimus, quod Biterrensis (Béziers) vicecomes Bernardus super monasterium sancti Egydii contra interdictum sedis apostolice castellum extruxerit, abbatem vero a monasterio expulit. Pro qua re jam ter commonitus, in sua tamen obstinatia perseverat. Vestre igitur fraternitati significamus, talem adversus eum interdictionis sententiam promulgatam, ut nisi infra... (finis textus in manuscripto transsumpto saec. XII).

Pflugk-Harttung I 88 nr. 96, IL 6223.

241.

1109, *Mart. 18. Paschalis II fratribus ecclesiae Virdunensis (Verdun).*

Richardum vestrae occupatorem Ecclesiae a Sancta Romana Ecclesia pro suis meritis excommunicatum, etsi hactenus non legistis, certius tamen et audisse et scire credimus; nunc autem vobis scripto nuntiamus, ut eum excommunicatum scientes, communionem ejus omnimodis caveatis. Sane Abbatem Sancti Vitoni et Archidiaconum Guidonem pro catholicae unitatis dilectione et dignitatibus et rebus suis privatos audivimus: praecipimus ergo, si qua penes vos B. Petri et nostri obedientia est, ut locis suis

bonisque restituantur. Si autem praesentibus litteris obedire contemnitis, nos Ecclesiam vestram a divinis Officiis interdicimus; qui vero ab hujus erroris macula resipuerint, cum fratris nostri Treverensis (Trier) archiepiscopi, seu supradicti Abbatis consilio Catholicae unitati reconcilientur; praelatum autem Guidonem noveritis apud nos diaconum esse ordinatum.

d'Achery, Spicilegium II 248; PL 163, 253; IL 6227.

242.

1109. *Paschalis II abbatibus et clericis archidiaconatus Guidonis.*

Pro catholicae unitatis dilectione Guidonem archidiaconem vestrum a Richardo Virdunensis Ecclesiae invasore bonis suis expoliatum audivimus, quamobrem charitati vestrae nostris praesentibus eum litteris commendamus, praecipimus enim ut ipsi de ecclesiis ad monasteria pertinentibus consueta justitia, et a clericis seu laicis obedientia debita sicut archidiacono impendatur; alioquin donec obediant divinis officiis careant, et decimas suae plebis amittant...

d'Achery, Spicilegium II 248; PL 163, 254. Cf. Documentum praecedens. De hoc interdicto d'Achery fusius p. 247 ss. agit; IL 6228.

243.

1101-10, *Febr. 6. Paschalis II Constantiensi episcopo.*

Porro excommunicatorum cadavera de sanctorum basilicis projiciantur, quia eorum putores ad superna conscendunt, sicut quartus Dialogorum b. Gregorii liber indicat, et sanctorum ipsorum revelatione didicimus; ideoque dum ea illic continentur, cessandum a divinis officiis arbitramur.

Martène, Thes. nov. anecd. I 336; PL 163, 265; IL 6252.

244.

1110, *April. 24. Paschalis II Petro abbati monasterii sancti Angeli quod dicitur Gaifa (Sant'Angelo in Gaifa).*

Nos enim excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias, quas contra tenorem exemptionis et gratiarum predic-

tarum promulgari, ac processus quoslibet, quos contra premissa fieri contigerit et haberi, exnunc irritos decernimus et inanes...

Paul Kehr, Nachrichten d. G. Göttingen (1909) 445; initium et clausula documenti genuina sunt, sed totus fere textus falsificatus est saec. XIV vel XV. Textus originalis privilegio Eugenii III IL 8952 similis fuisse censetur. Cf. *Italia Pontif.* IV 220; IL 6274.

245.

1110, *April. 27. Paschalis II monasterio S. Maxentii, O.S.B. (Saint-Maixent, d. Angoulême).*

Decernimus ergo ut nulli... liceat idem monasterium temere perturbare; ... sed neque interdictione vel excommunicatione ipsum monasterium addicatur, nisi forte pro certioribus culpis, quas vel abbas vel monachi emendare contempserint; nec ipsi tamen excommunicatos aut interdictos ad officia divina suscipiant, nec in communi parrochie interdicto signa pulsentur.

Chartes de l'abbaye de *Saint-Maixent.* Arch. h. du Poitou XVI (1887) 259; PL 163, 274; IL 6268.

246.

1112, *Iun. 19. Paschalis II monasterio Aquicinensi, O. S. B. (Anchin, d. Arras).*

Nec pro communi parrochie interdicto locus idem a divinis cesset officiis.

Pflugk-Harttung I 104 n. 116; IL 6324.

247.

1113, *Iun. 11. Paschalis II monasterio S. Silvestri Nonantulani, O. S. B. (Nonantula, d. Modena).*

Nec episcopis facultas dicti monasterii nostri clericos sine tui consensus deliberatione aut interdictionis aut excommunicationis sententia cohercere.

Pflugk-Harttung II 206 n. 248; IL 6354; *Italia Pontif.* V 341.

248.

1113, *Nov. 4. Paschalis II Guidoni Camaldulensium priori* (*Camaldoli, d. Arezzo, Etruria*).

Porro congregationem ipsam ita apostolicae sedis tutela perpetuo fovendam decernimus, ut nulli episcoporum facultas sit aliquid ex his monasteriis absque prioris convenientia vel apostolicae sedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere.

PL 163, 330; IL 6357; *Italia Pontif.* III 177.

249.

1114, *Ian. 10. Paschalis II abbati canonicorum Sancti Ruffi, O. S. Aug.* (*Saint-Ruf, d. Avignon*).

Ad haec adjicimus, ut nulli episcoporum facultas sit sine Romani pontificis et legati ejus audientia vos vel loca vestra interdictioni vel excommunicationi subjicere, aut judicio praegravare.

PL 163, 336; IL 6369.

250.

1114, *Oct. 31. Paschalis II Hermengaudo abbati monasterii O. S. B. S. Michaelis* (*S. Michele della Chiusa, d. Torino*). *Monasterium ipsum a jurisdictione Taurinensis episcopi eximitur.*

Cellas vero eiusdem monasterii in quibuscumque parrochiis sitas ea per Dei gratiam libertate donamus, ut nemini episcoporum liceat earum prepositos Clusini cenobii monachos, ad sinodum compellare, nec illos aut cellas ipsas preter Romani pontificis conscienciam excommunicare aut interdicere, quatinus a divinis officiis cessare non debeant, nisi pro communi parrochie interdicto.

Paul Kehr, Papsturk, in Campanien, in: Nachr d. G. Goettingen (1900) 312; *Italia Pontif.* VI 2, 125; IL -

251.

1114, *Dec. 2. Paschalis II priori ecclesiae B. Petri de Valeriis in Septimania* (*Septimanie, Pyrénées-Orientales*).

Ad haec adjicimus ut nulli episcoporum facultas sit, locum ipsum interdictioni vel excommunicationi subjicere vel aliquos ab ejus officiis et oblationibus prohibere, ut fratres iidem Romanae libertatis gratia potientes omnipotentis Dei servitiis licentius vacare praevaleant.

Baluz. Miscell. III 12; PL 163, 360; IL 6413.

252.

c. 1114. *Paschalis II Radulfo archiepiscopo Remensi.*

Regestum: mandat, ut Lamberto, episcopo Noviomensi (Noyon), « ecclesias Tornacensis (Tournai) episcopatus ex toto interdicat ».

IL 6419.

253.

1102-15, *Mart. 4. Paschalis II Ivoni episcopo Carnotensi* (*Chartres*).

Dilectissimi filii nostri Gaufredi Vindocinensis abbatis querelam accepimus super Ursione et Nevelone, patre ipsius, qui multa donna monasterio intulere. Qua in re super levitate vestra plurimum admiramur et admirantes afficimur, quod eorum rapinam nedum digna animadversione corripueritis. Ipsos enim et omnes malefactores Vindocinenses a Romana ecclesia excommunicatos noveritis. Unde praesentibus vobis litteris praecipimus, ut, quod in ipsos ab apostolica factum sede noscitur, indicetis primatibus terrae vestrae et populis, et eos etiam ex vestra parte excommunicationi subjicite et in terris eorum divina officia interdicite, loca etiam, ad quecumque venerint, quamdiu illic fuerint, a divinis officiis suspendantur, donec ipsi digne satisfaciant et ablata restituant. Si vero adversus abbatem causantur, quid justitia dictante aequum fuerit, in praesentia vestra recipiant.

Loewenfeld, Epist. Pont. Rom. ined. 74; IL 6441.

254.

1113-1115, *Dec. 9. Paschalis II canonicis Lugdunensis capituli.*

Saviniacensium (Savigny, d. Lyon) fratrum querelam accepimus super castello de Varennis (Varenne) et super obsidibus ab abbate extortis pro castello. Nos quidem obsides perperam et contra ecclesiasticum morem judiciorum censemus extortos; castellum vero supra monasterium rite destructum, quod neque illud, neque aliud, in monasterii laesionem aedificari debuit. Obsides ergo ipsos abbati restituendos praecipimus, et ecclesias non juste interdictas absolvimus, coemiterium vero de Bulliaco (Bully, arr. de Lyon) liberum et integrum, sicut a Lugdunensi Ecclesia datum fuerat, monasterio manere decernimus.

Mabillon, Annal. O. S. Bened. V 670; PL 163, 370; IL 6444 a. — Ansa hujus epistolae ex narratione Mabillonii apparet, quae simul explicat, cur etiam aliis in casibus monachi exstructionem castelli prope monasterium aegre tulerint saepiusque interdictis impedire studuerint:

Tunc etiam gravis controversia inter Pontium Saviniacensem abbatem et ecclesiam Lugdunensem hac occasione exorta est. Olim Saviniacenses parochianum quendam habuere, Iterium de Bulliaco appellatum, qui coemeterium quoddam eis injuste abstulerat, sed facti poenitens demum restituerat. Post haec Stephanus de Varennis, ejus gener, non modo coemeterium illud denuo invasit, sed etiam munitionem haud longe a monasterio exstruxit, et ex ea ejus colonos vexare coepit immo et sex monachos in vicina cella degentes expulit. Cum longius procederet rixa, Hugo Lugdunensis archiepiscopus se mediatorem interposuit, ac munitionem Pontio abbati reddendam censuit. Archiepiscopi judicio acquiescere visus est Stephanus, sed fraudulenter; nam in ipsa munitione cum armatis hominibus perstabat, et monasterii homines minis et injuriis affectos ad pugnam provocare non cessabat. Cum res ita se haberet, abbas amicorum consilio vim vi repellere statuit, ac demum munitionem evertit. Ea re commotus archiepiscopus abbatem et monachos excommunicavit, et eorum ecclesiis interdicto suppositis, obsides insuper ab eis accepit, dum scilicet munitionem instaurasset. Querelis hac de re ad Paschalem delatis, pontifex, suppresso archiepiscopi nomine (abierat enim Hierosolymam, quo in itinere fuit ab anno 1101 usque ad finem anni 1103), Lugdunensis capituli canonicos increpavit, castelli destructionem probavit, obsides monachis restitui jussit et sententiam Matisconensis (Mâcon) episcopi ad concordiam latam tenere praecepit.

Mabillon, Annal. O. S. Bened. V 462.

255.

1115, *Febr. 9. Paschalis II congregationi Vallumbrosanae* (*Vallombrosa, d. Fiesole*).

Nec ulli episcopo potestas sit, excommunicationem aut interdictionem vobis ingerere, ut, qui speciales estis filios apostolicae sedis assumpti, nullius alterius iuditio temere exponamini.

Pflugk-Harttung II 209 n. 253; PL 163, 372; IL 6447 ad Febr. 8; *Italia Pontif.* III 89.

256.

1115, *Febr. 8. Paschalis II abbati monasterii S. Petri, O.S.B. secus Perusinam civitatem* (*Perugia*).

Nec ulli episcopo facultas sit, praeter Romani pontificis conniventiam, idem coenobium aut ejus cellas gravare, interdicere vel excommunicare.

PL 163, 374; IL 6448; *Italia Pontif.* IV 70

257.

1115, *Aug. 20. Paschalis II Gonsalvo episcopo Colimbriensi* (*Coimbra*).

Sicut tuis predecessoribus per apostolice sedis auctoritatem licuit, dum ecclesia Portugalensis (Porto) prostrata iaceret, aliquam episcopatus eius partem tenere, ita tibi prohibitum est, post eius restitutionem aliquid, quod ad eam pertineat, usurpare. Sane et scriptorum assertionibus et personarum testimoniis cognovimus, te quandam partem Portugalensis parrochie, a flumine videlicet Dorio (Douro) usque in Antoanam fluvium, a Portugalensi ecclesia distrahere et violenter retinere. Unde tibi apostolica auctoritate precipimus, quatinus infra decem dies, postquam presentes videris vel audieris litteras, predictam parrochie partem confratri nostro Hugoni Portugalensi episcopo sine dilatione restituas; alioquin a pontificali te et sacerdotali suspendimus et omnibus ecclesiis, que inter Antoanam et Dorium continentur, divinum officium fieri preter penitentiam et baptisterium omnino interdicimus, donec eidem episcopo satisfacias.

Carl Erdmann, Papsturk. in Portugal (1927) 167; IL 6464.

258.

1115, *Sept. 9. Paschalis II monasterio Omnium Sanctorum, O. S. B., in Barensi dioccesi* (*in loco Cuti, d. Bari*).

Nec ullos ecclesiae Barensis antistes aut alius, quod absit, temerarius audeat, eidem coenobio excommunicationem inferre neque personis aut rebus ejus aliquo citra justitiam modo molestiam aut controversiam irrogare.

Pflugk-Harttung II 211 nr. 255; IL 6468.

259.

1115, *Nov. 13. Paschalis II monasterio Dolensi O. S. B.* (*Déols, d. Bourges*).

Preterea, quod idem monasterium ab initio fundationis sue nostrorum obtinuit privilegiis predecessorum, decernimus et apostolica auctoritate stabilimus, ut nullus episcoporum, nec etiam Bituricensis presul, in cujus parrochia situm est, eundem locum abbatemve seu monachos excommunicare vel ad sinodum vocare judiciaria potestate, vel divinum officium ibidem interdicere presumat; sed si necesse eidem presuli fuerit, totum comitatum Bituricensem excommunicare, omnes monachi ejusdem monasterii immunes a sua excommunicatione semper maneant cum omnibus servis et ancillis... servientibus ejusdem loci l[iceat?]... deo famulantibus... [divinum?] officium agere ac jam dictos suos tumulare.

Pflugk-Harttung I 110 nr. 125; IL 6476

260.

1100-16, *Mart. 23. Paschalis II W. archidiacono Parisiensi.*

Sicut apud nos S. Dionysii abbas (O. S. B.) conquestus est, ejusdem monasterii homines adeo partinaciter insequeris, ut S. Genovefae presbyterum ceperis, in captionem posueris, redi (re non) feceris ac triennio jam in eodem loco divinarum officium sit interdictum. (Adver)sus presbyterum S. Remigii sept(ies?)... excommunicationis dictasti,... villam quoque, quam... nt, interdixisti. Quae (?) igitur... beati Dionysii rebus... privilegiorum

a... (presum)psisti, viribus c(arere)...(praeci?) pientes... dimittas. Alioquin adversus temeritatem tuam sancti spiritus juditio beati Petri mucri deseviet.

Loewenfeld, Epist. Pont. Rom. ined. 76; IL 6491.

261.

1112-16, *April. 23. Paschalis II monasterio S. Trinitatis Savigniensis, O. S. B. (Savigny d. Lyon).*

In nemore quodam deserto et invio ecclesiam aedificatam et religioso fratres per tuam industriam in Dei servitio illic congregatos audivimus; unde omnipotenti Deo gratias agimus, cujus gratiae est bonum omne quod agimus, et quieti vestrae pro officio providere curavimus. Vestrae siquidem religioni concessionem hanc litterarum praesentium auctoritate concedimus, ut pro interdicto communi parochiae, in qua manetis, ecclesia vestra, nullo modo officiis debeat carere divinis.

Martène, Thes. nov. anecd. I 336; PL 163; 397; IL 6501.

262.

1117. *Boso cardinalis tituli S. Anastasiae et legatus apostolicae sedis Berengario Gerundensi (Gerona), Raimundo Ausonensi (Vich) episcopis et Petro archidiacono Barchinonensi (Barcelona). Aliqui nobiles monasterio S. Cucuphati (San Cugat) villam et praedia abstulerant et aliis modis monasterium vexaverant. Legatus mandat episcopis ut raptores usque ad festum Omnium Sanctorum ad restituendum cogant.*

...quod si usque prefinitum tempus non fecerint, nos extunc ad condignam satisfactionem tam ipsos quam honores (?) eorum a divinis officiis segregamus et etiam auctoritate qua fungimur excommunicamus.

Paul Kehr, Papsturk. in Spanien, I. Katalanien, 309; Kehr dubitat utrum in manuscripto legendum sit « honores » an « homines ». Quod dubium nullatenus fundatum esse videtur. Honor enim in documentis medii aevi saepissime territorium cum domibus, feudum, provinciam, praedia significat. Cf. *Du Cange*, Glossarium; etiam in documentis hispanicis multa exempla habentur, cf. v. g. Colección de documentos ineditos para el estudio de la Historia de Aragon (Zaragoza) Tomo I 48.

263.

1117, *Nov. 30. Paschalis II Gerardo episcopo Engolismensi* (*Angoulême*)

Fraternitati vestrae compatitur nostrae dilectionis affectus, pro eo quod vos angustiari angustiis plerisque cognovimus. Ceterum et nos non minora tribulationum pondera ferimus, pro quibus fraternitatem vestram rogamus, ut ad omnipotentem Deum preces et gemitus effundatis, et idipsum per universas parochias vestras fieri praecipiatis, quatenus omnipotens Deus multiplici miseratione Ecclesiam suam respiciat, et persecutionum aestus cessare praecipiat. Interdicti sententiam quam super Rotonensem abbatem protulistis et ejus abbatiam, nos ratam ducimus, donec vestro judicio satisfaciat. Comitem vero nostris litteris commonemus, ne assensum suum illius pertinaciae praebeat, quin etiam vobis eum obedire compellat. Quod si aliter fecerit, si quid vos in eum communi consilio austerius decreveritis, nos favoris nostri assensione firmamus.

Mabillon, Annales O. S. Bened VI 634; PL 163, 426; IL 6564. — Ex 15 documentis quae Mabillon de hoc interdictio refert (p. 631-635), adhuc tria allegamus, epistolam Paschalis, in sequenti numero, epistolas Gerardi episcopi a. 1117 et Conani comitis a 1118 in P.I nr. 61, 62. Praeterea Mabillon hac de re p. 10 s. agit.

264.

1117, *Nov. 30. Paschalis II Conano Britannorum comiti.*

Nosse debes, fili carissime, quia non est potestas nisi a Deo. Per ipsum igitur potestate accepta, noli adversus eum cervicem cordis erigere, nec ejus Ecclesiam impugnare, sed potius ejus omnipotentiam cogita, et humiliter Ecclesiae praecepta custodi, ut qui magna suscepisti, merearis majora suscipere. Rotonensem (Redon) abbatem audivimus, contempta vicarii nostri Engolismensis episcopi reverentia, per violentiam tuae potestatis Bellam insulam invasisse, et Kemperelegienses (Quimperlé) inde monachos expulisse. Quam ob causam cum judicio vicarii obedire contemneret, per eum est ab abbatis et sacerdotis officio interdictus, et abbatia tota officiis privata divinis. Verum enimvero interdictum ipsum pertinaci praesumptione contemnunt. Tuam itaque

indolem commonemus, et tanquam Ecclesiae filio praecipimus, ne te eorum arrogantiae socies, sed eos ad Ecclesiae judicium peragendum ipse compellas; alioquin quaecunque adversus te pro hoc reatu sententia processerit, nos ratam Domino auctore tenebimus.

Mabillon, Annal. VI 634; PL 163, 427; IL 6565.

265.

c. 1117? *Pascalis II Conrado archiepiscopo Salzburgensi.*

Pro quibusdam ecclesiis a te interdictis nos Henricus dux Carinthiae postulavit: nos autem totum id dispositioni tuae committimus. Quid enim inde fieri debeat, tua dilectio poterit sapientiorum fratrum deliberatione disponere.

M. Hansinzius, Germania Sacra (Aug. Vindel. 1727-29) II 227; IL 6569. — Hanc epistolam Hansizius aliique editores priores Innocentio II attribuerunt, posteriores potius Pascali II. In mandato de conciliis, in quibus aliquid de Gibertinis statutum sit, sermo est. Haec scriptores antea ad conc. Lateranense a. 1123 celebratum spectare putabant, consequenter epistolam Calixto II et anno 1124 attribuerunt; aliis probabilius videtur concilium memoratum esse Lateranense anni 1112 ideoque Pascalem II auctorem rescripti esse. Cf. Alb. Brackmann, *Germania Pontificia*, vol. I (1911) pag. 20 et 410.

266.

1114-18. *Paschalis II Beatrici abbatissae monasterii Benedictin. S. Fabiani de Farinate (Bergamo).*

Nec diocesano episcopo facultas sit ecclesiam ipsam et personas in ea Domino servientes gravare aut aliquid in illa potestate iudiciaria exercere...

Sepulturam quoque eiusdem loci liberam esse censemus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se in prefato loco sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illius ecclesie seu ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Paul Kehr, Nachträge zuden Papsturk. Italiens VII; Nachrichten d. G. Göttingen (1913) 418; *Italia Pontif.* VI 1, 304; IL -

INDEX FONTIUM ALPHABETICUS

10. **Tertulliani: De Baptismo.** — Recensio nova cum introductione, notis, indicibus. (ADH. D'ALÈS). in-8°, pp. 58, 1933 - L. 4.

11. **De ordaliis. - II.** Ordo et rubricae. Acta et facta. Sententiae theologorum et canonistarum. (P. BROWE). in-8°, pp. 112, 1933 - Lire 6.

12. **De origine et evolutione interdicti.** I. Scriptores, epistolae, concilia (W. RICHTER). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

13. **De origine et evolutione interdicti.** II. Decreta Rom. Pontificum (W. RICHTER). in-8°, pp. 78, 1934 - Lire 6.

14. **Quaestio de unico esse in Christo.** Documenta saec. XIII. (E. HOCEDEZ). in-8°, pp. 132, 1933 - Lire 6.

15. **S. Leoni Magni Epistolae de Fide Chalcedonensi.** I. Epistolae Concilio praemissae (C. SILVA-TAROUCA et F. DI CAPUA). Sub prelo.

ALII TOMI PARANTUR

SERIES PHILOSOPHICA

1. **De Platonis doctrina circa animam.**
Textus selecti (J. Souilhé). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
2. **De origine formae materialis.**
Textus antiqui et recentiores (P. Hoenen). in-8°, pp. 88. 1932 - Lire 6.
3. **De principiis ethicae socialis.**
Documenta ultimorum Rom. Pontificum (G. Jarlot). in-8°, pp. 82, 1932 - Lire 6.
4. **Quinque viae S. Thomae ad demonstrandam existentiam Dei, apud antiquos Graecos, philosophos Arabes et Iudaeos praeformatae vel adumbratae.**
Textus selecti (P. Arnou). in-8°, pp. 104, 1932 - Lire 6.
5. **S. Thomae Aquinatis: De Ente et Essentia.**
Editio aucta introductione, notis, locis parallelis (C. Boyer). in-8°, pp. 64, 1933 - Lire 4.
6. **Controversia de aeternitate mundi.**
Textus antiquorum et scholasticorum cum introductione et notis (M. Gierens). in-8°, pp. 103, 1933 - Lire 6.
7. **De Eudaimonia sive De Beatitudine.**
Textus e philosophis antiquis cum introductionibus et notis (J. B. Schuster). in-8°, pp. 55, 1933 - Lire 4.
8. **Aristotelis de Anima libri tres, graece et latine.**
Lib. I. - Editio cum versione et notis (P. Siwek). in-8° pp. 88, 1933 - Lire 6.
9. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. II. (P. Siwek). in-8°, pp. 128, 1933 - Lire 7.
10. **Aristotelis de Anima libri tres.** Lib. III. (P. Siwek). in-8°, pp. 144, 1933 - Lire 7.
11. **S. Augustini doctrina de cognitione.** Textus selecti (L. Keeler). in-8°, pp. 80, 1934 - Lire 6.

ALII TOMI PARANTUR

